




V
B
J
C

Frid. Zamell

PHILYRA SECUNDUM RECEPTA

Sive

Phallosthenes exarmatus.

Typis Bodenhausianis
anno M. DC. XXXIII.

Illustrissimo Heroi ac Domino

D. AXELIO OXENSTIRNIO L. B. IN

Cymitho, Domino Fiholmi & Tydoes, E. A. S. R. M. Svedicæ Senatori & Cancellario, ad Exercitum in Germaniâ Legato, partiumq; ibidem Regiarum Gubernatori Generali &c. &c.

REvoluta est, Domine, vix dum anno in orbem redeunte ipsa veluti temporis acti series: belli prioris facies in hoc nupero ita exhibita, ut ipsum in scenam productum videri possit. Scenam, inquam; at majorem. Consilia, conatus, locus, anni tempus, prælii exitus, omnia paria ac fere eadem. Soli hostium Duces mutati; quod fieri necesse erat. Nam quòd idem penè fatum utrumq; exciperet; ille, quia ex vulnere diem extremam maturiùs obiisset, ut non superesse jã, ita nec interesse huic conflictui poterat. Aliquamtò majore armorum vi animorumq; contentione jam nunc depugnatum est. Tunc ipso Te exigente, ut rem in carmen conferrem, Tillium Tibi Exarmatum offerebam: & si quid temporum memoriâ dignum eveniret, ut eodem filo pertexerem, Tuæ voluntatis argumentum interpretabar. Phallosthenem igitur talem ab eâdem fortunâ Tibi transmitto. Verùm ut officium meum Tibi non ingratum fore non dubito; ita esse nonnullos scio, qui cùm ab elegantioribus Mu-

sis

sis ipsi longè sint, ex vilitate triobolarium ac vernilium Poetarum non tam Poeticen æstimant, quàm Poeseos in me non coactæ tam apertam professionem vituperant. Et jam nondum integro vertente anno in animo ad dolorem molli duplicem plagam, sed clam sed eminus, acceperam ab iis, qui Heliconi indormivisse videbantur ipsi. De cœteris non est tamti. At verò acuti mentes seculi! quorum absq; supercilio atq; sollicitudine eßet, jam nec præstantioribus, ut dicunt, artibus, quas æquè cũ ipsis colo, suus constabat honor. In campo quasi degimus, inter arma: ad militaria tamen castra illi non respiciunt. Ea non Imperator aut Tribunus solùm, sed & calo & lixa ingreditur: quorũ sordibus si quis offensus ordinum ductores despiciendos contemnendosq; putet, cordatorum nemini, ut digitum tollat, persvaserit. Habent & Musæ sua castra: sunt in illis alii instar Ducum, Decarcharum, sunt alii velut gregarii, lixæ deniq; Apollinares non alio, quàm militiæ, jure, ordine. Turba est opicorum, quæ Medicorum nomen non ambit, sed arrogat, non adfectat, sed venditat. Sunt non pauciores, qui novæ simulatæq; pietatis sensu chartis illito mendicitatis probrum obvelant, quò aut miseræ vitæ præsidium, aut avaritiæ nutrimentum quærant, deteriores iis, qui in ponte Aricino sedebant: quòd illi, quid sibi fieri vellent, citra ambagem ederent, vile raudusculum latrantes; hi,

 dum

dum alienæ virtuti inservi isse se simulant, ejus, quem colunt, judicio relinquant, quamti virtutis suæ venerationem faciat. Medicumne igitur audire, aut sacrosanctis studiis se mancipasse, in crimine erit? Certè qui dixerit, nec pro sano dixerit. Adde quòd præstantissimi clarissimarum Græciæ urbium Romanæq; Reip. Imperatores adeoq; Dictatores, Consules artem Poeticam cum rei militaris peritiâ ita conjunxerunt, ut melioresne Poetæ an exercituum Duces essent, ambiguum reliquerint. Nec desunt hodieq;, quibus ad summa rerum gubernacula sedentibus illud studium non dedecori sed laudi, nec impedimento sed adjumento esse aquâ & aere hoc liquidiùs apparet; Philosophandi ratio sanè antiquissima, ac veluti ipsâ naturâ monstrante inventa, proinde adeo invitabilis, adeo percommoda, ut non nisi cum voluptate utilitas, non sine utilitate voluptas hæreat. Quib. viris si me, si mea viburna istis cupressis; quantum inter gradus dignitatis fortunæq; interlucebit! Nec parùm multos tamen videas, qui licet genesin Poeticam non habeant, invitâ tamen, quod ajunt, Minervâ aut Musis potiùs reluctantibus ad scribendum prosiliunt, non tam pleno gradu, ut sibi videntur, ad laudem condendi carminis euntes, quam & se & pulcerrimas rerum occasiones consumentes. Qui, tametsi hoc ipsis in crimen valere nolim, vt Vatum tamen in familiâ censeantur,

antur, me ſvaſore haut-quaquam allaboraverint.

Cæterùm cùm optimi Regis GVSTAVI illius Magni, qui nunc ad immortalitatem receptus eſt, gratam memoriam conſervare cujusvis noſtrum ſit; in me convenire imprimis putavi, ut quâ facultate promtiùs ac feliciùs poſſem, animi mei adfectionem exprimerem: ſimul ut Tu haberes, Domine, obſervantiæ meæ erga Te Teſtem hunc atq; pignus alterum, viri poſt æternum Numen nulli niſi patriæ patriæq; DIs obnoxii. Nititur opella hæc mea, heros illuſtriſſime, ſolâ famâ, ſed qualis non ſubitò expirabat. Vides ipſe, dum in ſpatio me non metâ abjungentem vides. Æqui boni igitur ut facias, oro: ſed ita, ut quæ certiora ſunt, à culmine Celſitudinis Tuæ temporum faſtis condendis exorata velim. Interim Tu & reliqui Proceres Orbis & Reip. noſtræ feliciter agite: cujusq; loco eſtis, ejus in mentem, in facta ite, hoſtibus Fidei Septemtrionisq; formidabiles. Dabam Elbingæ anno m. r. M.DC.XXXII. prid. Cal. Januar.

Tuæ Celſit.
devotus
Frid. Zamelius.

BElla per assertas iterum nascentia terras
Persequor, extremos turbati Cæsaris ausus,
Illatumq; nefas Misena colentibus arva:
Utq; novo Mavorte Gothus vix unius anni
Mensibus exactis sub Iberi jura redactam
Cœperit, & patriis reparatâ pace dynastis
Reddiderit Philyran, divorum munere pando;
Regis ut Arctoi, Superûm qui jussa sequendo
Infames animas armis victricibus ultus
Asseruit sacra digna Deo, pia facta nepotes
Gratantis memori discant à carmine Vatis.
Rex, qui sublato mortalibus otia ferro,
Qualiaq; imberbi Iove secula mundus agebat
Reddere, & Ausoniam condentem sacra deosq;
Ignotos cœlo, quales obtruderet Orbi,
Et fractis bello populis, frænare parabas,
Nunc quæ justa Gothus non exuit arma, ruentis
Ut scelus Imperii crudeliaq; ausa catervæ
Vindicet Hesperiæ, deus almo Numine firmas,
Debita pars nuper cœlo, nunc addita divis,
Si qui sunt Superi, turbæ qui vota precantis
Æternæ referunt menti, quæ cuncta gubernat,
Et rata sic faciunt animis, quod Roma fatetur.
Tu mihi votorum præses veracior adsis:
Da facilem cursum, da mittam vela per altum,
Quæq; juvant alios hæc inferiora relinquens,
Teq; decusq; Tuum magno jam Numine fultus
Intuear vatesq; Tuus parsq; alma Tuorum.
Vera referre juvat: quorum clarissima fama
In nullas abiit corrupto judice partes,
Non odio generis, quo stat Romana potestas
Incolumi, curæ cui sunt mea turba Poetæ,

Nec studiis eversa novis jacet: omnia præsens
Non dubiâ congesta fide testabitur ævum.
Quæ merces victoris erat, non capta supellex
Nec rutilans aurum (nempe ille hæc præmia dixit
Militis esse sui) sed gestigloria belli,
Hæc erit & nostri, livor vesane, laboris.
Si Tibi quid nuper turpis peccavit agyrtes;
Ingenii sit culpa mei: seu carmina folleis
Nostra vocas; æquis, precor, auribus accipe, soli
Me dare virtuti, quod natum in pectore nostro,
Quod rerum dominus probet & Mens proxima Regi.
Laudo; si quid erit, quo Tu rem promtiùs ornes.
Rursus ad Astrææ Sol flexerat aureus astrum,
Iam celeres promôrat equos, caudâq; minacem
Scorpion urgebat: tamtæ post tempora cladis,
Quâ cecidêre duces Misena per arva Latini,
Integer exierat revolutis mensibus annus.
Ensiger Elysias jam Saxo subegerat urbes
Auspicio Gothici Regis confisus & armis
Militis Arctoi: quem Rex duraverat usu.
Bratisilæa decus populi, quâ pulcrior omni
Nulla est Teutoniâ, nec lætior altera cœlo
Teutoniæ claras inter caput extulit urbes,
Ipsa opibus numeroq; potens & robore gentis
Guttaleis perfusa vadis in fœdera Regis
Venerat, & pacis leges acceperat æquas.
Miseno vicina Duci concesserat olim
Hexapolis, regio ditissima frugis & auri,
Vbertate suâ dirâq; cupidine Regum
His invisa viris, quos ora Sydetis agrorum
Limitibus jungit, viresq; experta potentum.
Iam Gothicas acies in rura Boemica constat

Victorem movisse pedem, Latiisq; maniplis
Præsidio cavisse loci formidine belli
Cæsareos proceres duce cum Phallostene captos.
Rura quidem infames viderunt Norica turmas,
Cinxit & Austriaco delirus milite ductor
Urbem, quæ Latii servat diademata Regni,
Nunc fidam sceptris, quæ Tu Gustave gerebas,
Maxime Rex, cœleste genus, nunc reddite cœlo.
At viso, cives tamto jam nomine fisos
Jam sociis auctos contraria in arma ruisse,
Degeneres animi, tamtumq; per arva feroces
Queis assertor abest, ploratusq; inter anileis
Digna suo ductore cohors loca tuta petebat.
Illum, non quales jactat, natalibus ortum
Præclaris equidem, sed nullo Principe claris
Teutonici generis, posuêre in culmine rerum
Ejurata fides & sangvine læta tyrannis,
Pectus iners, horrensq; metu, strepituq; fatiscens
Soricis, aut motæ ventorum turbine lamnæ.
Sæpe dedit pœnas equitis calx: innula fidi,
Sæpe puer plorans eliso gutture solvit,
Sæpe utero fœtus pendentis ab arbore matris
Decidit, aut matris periit pendentis in alvo.
Facta fides, Gothicos numquam numerasse Tribunos
Sub signis tot corda suis, quot miserit Orco
Marcomanus nimiùm fera per suspendia ductor.
Immanem referent natorum secula mentem,
Triste nefas Furiasq; suas jam cæde peractâ,
Et demum viso miserorum funere fassam.
Ut Lygias urbes externo Marte teneri
Vidit, & Arctoas Miseno limite turmas
Longiùs avectas, nec Sole ciere sub uno

Bella

Bella, sed Alpinis Regem concurrere Bojis,
Ductores populo diversi incumbere tractûs,
Saxoniæ nudasse Ducem, quas poßidet, arces
Milite, & hostileis securum affligere terras.
Ad fraudes conversus ait, nunc illa gerendi,
Quam licuit sperare, data est occasio belli.
Quod si Tilliadæ non rite piavero manes,
Nec Latiis penitus Sveonas submovero regnis,
Quamta tamen, temerasse fidem, nec Cæsaris ira
Nec precibus motum Gothicis hæsisse catervis,
Et ferrum strinxisse nocens in viscera Regni
Imperiiq; caput, totq; acria gentis Iberæ
Pectora Lethæas nuper misisse sub undas,
Quamta tamen, dixit, sit noxa ea Saxonis, edam,
Cùm mittam infestas, Phineia monstra, volucres
Per sata Miseni perq; horrea lauta coloni.
Exinde, ut fibris concepit Erinnyas imis
Dispiciens quoscumq; dolos artesq; nocendi,
Olcam ad se vocat, attonitus cui munia Cæsar
Proxima militiæ dederat, sæva arma secutum
Sumere cùm posset: quo non sceleratior alter
Romuleos inter fertur vixisse Tribunos;
Quos habeat motus, quàm tristes nutriat ausus,
Quàm fœdi sensus animo, satis ore docentem
Horribili, horrisono: si quæ miseranda peregit
Seu facie possunt, tetrico seu more doceri.
Vile illi, patrum miseras absolvere cædes,
Corpora ni matrum, matrum nisi ab ubere raptos
Aut utero matris patrum junxisset acervis,
Innuba virginei non ampliùs ora pudoris
Iam flore erepto, truncis à vulnere membris
Componens patrum gremio ludibria fati.

Idem

Idem quo ſatius mortalia pectora noſſent,
Quamti cœleſtes faceret; contemtor apertus
Raptabat multo fœdatos pulvere vultus
Myſtarum, & querulis lacerabat corpora ferris.
Ingreſſo ſcelerum tamto conſorte Tribuno
Tecta Ducis, Dux ipſe prior ſic ora reſolvit:
Olca, ingens Latii Martis decus, & mihi dudum
Notior his ſtudiis, duri quibus alea belli
Ducitur, in terras patrio procul Orbe remotas
Dux Eumondorius deſertis arcibus ivit,
Nullo ruricolis nullo cuſtode relicto
Vrbibus: exiguam ſedes Dreſtena cohortem
Continet & Rupes quæ Regia nomine dicta eſt.
Tempus adeſt, quo ſe magni Iovis ales & almi
Cæſaris, Enſigero tamdem ipſi ſpretus, inultam
Non ſinit: at Cereris plenas exurere villas,
Et tenuis vulgi jugulo defigere ferrum,
Si ſatis eſſe negas; quali ſuperabimus arces
Indole, quâ cultæ gentis dominabimur oris?
Nunc eadem Titan, quæ ſigna reliquerat, intrat;
Robore militiæ fiſas cùm terruit urbes
Ductor & admotis domuit Carteius armis,
Ereptas iterum, ſeu tunc contraria votis
Fata deûm noſtris eſſent, ſeu crimen haberet,
Et lueret belli temeraria cœpta ſiniſtri
Dux ſtimulum famæ diſcrimina ſola ſecutus.
An dubitem, modò non ardor virtusq; reſedit
Priſtina, confuſam per bella laceſſere turbam?
Quæ via ſit tentanda, doce; quid cœpta ſecundet?
Reddidit huic Cimber: Si quid committere Saxo
Marti opportunum potuit, dux inclute, noſtro;
Hoc erat. Et mecum belli momenta putabam

Antè

Antè per innumeros volvens subeuntia casus.
Moliri non parva juvat: stet summa laborum
Ingenti cœpto, dum spondent tempora palmam:
Ne segnes medio in cursu fortuna relinquat.
Quá patet, ingressi totam populabimur oram:
Quicquid agi ferriq; nequit, ferrumq; recusat,
Hauriat ignis edax: terrore replebimus urbes,
In vacuas civis si viderit ipse favillas
Ruris opes, factasq; hominum sub mœnibus ipsis
Horruerit cœdes atq; ora informia tabo.
Ingenii res illa mei est: qui pectora gentis
Cimmeriæ cognata traho, non docta moveri
Casibus humanis, non dediscentia parvæ
Ad lacrumas turbæ dignum Mavorte furorem.
Quod caput est, omni tamen ut regione potiri,
Et captas urbes excluso Principe possis
Imperio premere, & sub majestate tueri
Ausonii Regis, virtute & milite multo
Usus erit: non his illum prohibebimus armis,
Non certè, Boreâ junxit qui castra relicto,
Heroem Gothicum. Nam quas seu maximus Ister,
Seu Lycus accepit turmas flumenq; Suevum,
Limpidus aut Mœnus potat Rhenusq; bicornis,
Conjunctis ibunt animis Misena receptum
Oppida, & à nobis sumtum pro crimine pœnas.
Papinium Mavorte satum, cui colla Caycus
Supposuit, cujus virtutem ripa Visurgis
Utraq; miratur, damnantem militis usum
Septima sub galeâ quem non ostenderit æstas
Ardorem tolerasse Canis, vel septima durum
Brumatulisse gelu, tam ta hæc in prælia poscas.
Sunt acres animi, sunt fortia pectora turmis,

Quas Geticâ vexit longinqua per æquora pinu
Rex Aquilonaris: qui regna potentibus armis
Teutona permensus clarat sua bella tropæis
Duxq; sagax, milesq; acer, consorsq; pericli.
Alter enim patriis egressus hic Annibal oris
Arte novâ bellumq; gerit, populosq; fatigat
Ausonio gravis Imperio, metuendus & Urbi,
Quam pax alta fovet tot conservata per annos
Relligione Ducum, sive hos reverentia prisci
Avertit decoris bello, clariq; per Orbem
Romulei generis decantatiq; triumfi:
Quos nisi laudis amor Gothici præcordia Regis
Exemplo stimulans, postquam data copia belli,
Armorum paribus studiis æquare laboret,
Aut factis superare optet, sine vindice gentis
Teutonicæ staret jam conciliata potestas
Romanis Aquilis volucrumq; insigne gerenti.
Dixerat: in verbo pars advenêre Senatûs
Maxima Picolamas, nec avitos Stroza furores
Musarumq; æstus, funesta sed arma professus,
Et solâ notus populis Alemanidos oræ
Fraude Coloredus, nec non Montegnius audax,
Trux & Abantagius, temeratæ nomina linguæ:
Quam Gothus & Cimber Saxoq; prioribus annis
Confudit patriis Italos effusus in agros
Vocibus, hæc fidei sartæ sub Sole remoto
Hibridas ad patrium missurus pignora cœlum.
Queis Dux ipse prior: Bellum quia tempora suadent,
Arma movente foris, sua qui indefensa relinquens
Gustavum sequitur, Misenæ Principe terræ,
Exiguos autem numerant mea castra maniplos;
Papinii nostras augeri milite turmas

Consu-

Consulit Olca sagax. Quæ sit sententia vobis
Nosse operæpretium est. Tum quas inferna præisset
Eumenis, in voces gemini erupêre Tribuni:
Sufficit in prædas vastandi, sufficit agris,
Nos habuisse duces. Undabit sangvine tellus
Si jubeas, variæq; dabit spectacula cædis
Hesperius miles: tamen ut Philyreia pulcro
Marte domes iterum & defendas mœnia victor,
Seu Drestam spebus verum est accedere nostris
Claram opibus Laribusq; Ducum, munitaq; Saxæ
Perfugio gentis; non, si sunt improba nobis
Pectora, committas pugnæ discrimina paucis;
Sed Ductoris opem, cujus timet arma Batavus
Olcâ Præfecto non vana monente requiras.
Assensêre omnes. Vestrûm quæ puncta notavi,
Sunt eadem, Dux inquit, & hæc ego tuta probaram
Consilia, & vestris lætor non irrita votis.
Nec certè Illyricus, nisi me sententia fallit,
Abnuet Isolamis: quem turba secuta virorum
Cui sitis armorum, cui sola ferocia cordi.
Inde Bysactericas qui nuntius iret ad urbes
Castraq; Papinii fidisq; hæc condita ceris
Perferre decreta, citi properare jubetur
Dorso invectus equi. Totas accepit habenas
In campum sonipes: fertur, ceu præpetis alæ
Remigio volucris, ceu missa sagitta per auras.
Sexta dies aderat, cùm castra rubentia vidit
Littorei vigilesq; Ducis: mandata ferentem
Imperio Domini portæ admisêre patentes.
Ut fantem audivit Ductor, tabulæq; resolvit
Vincula, seq; illinc lectæ cum robore turbæ
Acciri vidit, quamvis victoria nostro

Stet nutu & fasces lætæ mihi deferat oræ,
Qua cùm Teutonico jaceat contermina Ponto,
Teutonici latè colitur clarissima cæli;
Ibo tamen, tamen ibo, inquit: mea sentiat Arctos
Arma Gothusq; ferox: faciam, regionis ademtæ
Rectorem se Saxo ferat, dum tuta per urbes
Præsidia Imperio quæsitas sangvine terras
Servabunt constante fide. Sint Numina cœlo,
Sint aliis rebus; res nostræ sorte ferantur;
Sorte meâ vincam: cui Marte probatus & algu
Miles ad arma venit. Nec si tamen ulla Latinos
Respicit Augustos Romanaq; secula condit,
Qualia Cumææ foliis asserta Sibyllæ,
Cura deûm, nostris aversa putabitur armis.
Dixerat ingentem Gradivi Martis amorem
Ostendens vultu quem pulcra senectus obibat
Dux animo dextrâq; valens, nulliq; priorum
Inferior virtute Ducum, nisi cruda tyrannis
Nî dira impietas insigni crimine mentem
Fregerit ingenuam, moresq; fugaverit almos.
Extulit hunc tellus Germanâ stirpe creatum
Germanis habitata viris, quæ Norica priscis
Dicta fuit cœlo tunc asperiore soloq;
Nunc Cereris viniq; ferax gratissima Baccho.
Multus adhuc puerum primis exercuit annis
Eximiusq; labor: solido jam robore nixas
Mirati dotes indefessumq; vigorem
Primores Latii corruptum munere pectus
Et decorum cumulo jam caussa Cæsaris æquum
Implevêre odio patriæ, Furiisq; Latinis.
Continuò æquoreas urbes arcesq; minaceis
Cattorum populis & proxima rura Sicambro
Defen-

Defensore novo firmat, numerumq́ cohortis
Præsidiumq́ explet superas moturus in oras.
Vrbs est Saxonibus Tubisurgia dicta vetustis
Solis ad exortum cultis vicina Cheruscis,
Brunopolin præsens ætas vocat, ubere terræ
Et studio artificum felix multosq́ per annos
Congesto censu, longo vix libera bello,
Quod patriæ cives pro libertate gerebant.
Dissita non procul est, pluvios quà respicit Austros,
Quà videt obliquè sublimi vertice colles
Astrigerum Meliboce Tuos abscondere cœlum,
Arx valido muro fossisq́ ambita profundis.
Fisa loco, dubiæq́ uligine tuta paludis.
Graja Lycaoniam gens nominat, accola Saxo
Velphorum indigitat patrio sermone Butellam,
Quam populi coluêre Duces. Cùm dura timeret
Tillius arma Gothi, persvasis fraude dynastis
Invasit quas nunc Cæsar sibi vendicat arces.
Hac iter intendens, armorum ut pondere fessos
Et fame languentes relevaret militis artus,
Dum metuit tergo Cattos in finibus, altum
Præterit Abnobium: cujus juga dextera turmis,
Quò postquam venêre acies, septena quieti
Lux ægris concessa animis, & frugibus almis
Legiferæ Cereris solvit jejunia miles.
Papinius motis jam duxerat agmina castris,
Jam vicina Tuis adduxerat, Halla, Salinis:
Halla potens opibus, quas salsior unda ministrat,
Sub Tua cùm nondum venisset mœnia ductor
Hesperius: qui post in Te sua vulnera luxit
Aspirans Acherontis aquas Stygiamq́ paludem.
Sume mares animos: Tua culmina præterit hostis

Dis sserta Tuis. Si quid Tibi miles Iberus
Abstulit, exiguo referet labor improbus ævo.
Rumor ut attentas Phallosthenis appulit aures,
Adventare Ducem, genitum quem Marte secundo
Fertur Alemulidum grex eduxisse dearum,
Extemplo Austriacas & quas Gabreta dedisset
Rura jubet signis erectis ire cohortes.
Securum invadunt populum, non ulla timentem
Bella solo patrio, sed lætum Principis armis,
Sæpe quibus victor submotum fregerit hostem,
Fidentes animas cœptis rebusq; secundis,
Quas malè defenso peragebat limite Princeps.
Digna patrat tanto miles Duce. Fœda per agros
Exoritur facies: jam clara incendia lucent,
Ac flammis ruitur crepitantibus area dives
Frugibus exustis, & quos mortalia corda
Præcipuè sitiunt, vi recluduntur acervi.
Iam cædes fit sæva virûm: miserasq; maritas,
Dum passis ululant, passis ad stupra capillis
Virgineumq; trahens sceleratus calo pudorem,
Cogitat infames dira inter gaudia mortes:
Iamq; puer matrem implorans jam funera plorans
Aut ferro cadit aut inter vestigia duri
Militis eructat divulsa per oscula vitam.
Sævitum in laceros stratorum corpora vultus:
Pars tenui superans spiramine mersa profundo
Limoso periit: fractâ cervice pependit
Altera turba jugo: partem qui tecta domorum
Miserat in cineres populator sustulit ignis.
Fœmineos artus durâ jam morte rigentes
(Horrendum dictu) Venerem explevisse nefandam,
Fama quidem dubia est, at consona turpibus ausis.

Ipse virum novi, qui lustra bis egerat octo,
Cui thalami consors geminas enixa puellas
Non aliam tulerat prolem carissima lecti
Pignera, & annosæ solatia firma senectæ.
Ante puellares nudato corpore vultus
Fune caput vinctus, tectum quò proderet aurum,
Duriter intorto pater est spectare coactus
Virgineum incestas florem corrumpere mentes:
Qui vidit nimium miserandus, ut impius ensis
Jam Venere expletâ confuderit ora gementum,
Corporis & secti tenuissima frusta cruentus
Miserit in calathos belli spectacula miles.
Ut primùm agrestes tamtus furor hausit inermeis,
Oppida jam Ductor Sudeticus urget & urbes;
Qualibus exiguos ponit sors infima muros,
Excelsumq; negat vicina potentia culmen.
Nec modus heic sceleri, nec quod scelus esse fatendum est
Vel leve crimen erat: solumq; immania turpes
Audebant animi, nec nota prioribus annis.
Quicquid & in villis miles commiserat atrox,
Vilius esse puta: successu audacia crevit.
Infantum series Busiridis audiat aras,
Audiat & Phalarin: satis hæc truculentia parvis
Terrendis animis: satis est Tibi Græcia simplex
Non alios Latiumq; vetus novisse furores.
Tempus adest post tot Lunæ Solisq; labores,
Quo non humar[illegible] contagia men[illegible]
Corripiunt tamtum, quamtum consortia larvæ
Nostra petunt similes Dirarum à sede profectæ.
Nam si quid rigidi viderunt secula moris
Illa, quibus vitæ præsentia commoda sensus
Noverat exterior, non noxam aut præmia doctus

C Geste-

Gestorum, nexu quæ sunt speranda solutis
Corporeo; sperni cum religione deorum
Dî poterant ipsi, quos mundo obtruserat error:
Cùm mentem colimus, magno quæ Numine firmat
Res hominum & Superûm, justâ de lance rependens
Fatorum expertes per non vaga gaudia Soles,
Aut scelerum meritas æterno carcere pœnas;
Cœlestisne adeo est horrenda professio veri?
Sic pietas, Latii quam curia Præsulis armat,
Delusas animas & nunc fera bella perosas
Mancipat ætherio per sacra nefaria Regi?
Tilliades habeat, Phallosthenes improbe, laudes
Quas bello meruit: dicantur & impia facta.
Non hic Miltiades fixis Tua corda tropæis
Sollicitat, quem Tu factis crudelibus æques.
Vicisti feritate novâ. Fors vena Poetæ
Ullius æternæ poterit transmittere famæ,
Quod peccavit Iber: superant Tua crimina voces
Naturæq; modum.
Non ego, si centum possem mihi sumere linguas
Dicturo quodcumq; nefas, calamoq; decenti
Autor non vanus mansuris tradere chartis
Omnia quæ dirus Dux execranda peregit,
Uterer ingenio: ne postera noverit ætas,
Ne scelerum forsan discant exempla minores.
Eximat hæc series venturi temporis ævo:
Nec superas redeat tam tristis Erinnys in auras.
Venerat Hallensi grandævus Ductor ab a[...]
Et sua Misenis tentoria fixerat oris,
Bojemis hærens conjunctâ mente catervis.
Olca prior Philuræ muros tentare jubetur,
Ereptasq; recèns Romanis partibus arces.

Parvis

Paruit ille Ducum jussis, urbiq; propinquat;
Aggereq; oppositi circumdare mœnia valli
Instat, & assiduo dat tempora prima labori
Noctes atq; dies: ascendit machina summam
Castrorum molem, clausam quæ terreat urbem
Fulmine: quod dicunt (quamvis tunc crimen abesset
Perniciesq; virûm) Æoliden Salmonea primum
Iratis fabricasse diis: industria cives
Pectora pro patriâ coeunt certare parati,
Horrendumq; ciunt tonitru paribusq; resistunt
Incensi studiis: utrimq; per aera ferri
Excussi aut silicum ardentes sonuêre procellæ.
Vt bellum vidit cives tolerare sub armis
Impatiensq; moræ Cimber metuensq; futuri
Ad Proceres mittit complexas talia ceras:
Servatis optent salvam si civibus urbem,
Resq; suas; dedant talem sub Rege futuram,
Teutona qui sceptris antiquo jure Latinis
Adserat Imperia atq; æternæ fascibus Vrbis;
Sin contrà obniti malint; ut Cæsaris hostes
Quas constet poenas vicina luisse, daturos.
Cui Patres, postquam congressa corona Senatûs
Tota suas eadem dedit in suffragia voces:
Principis esse sui, quas idem insederit, arces
Milite non pauco: nec portâ admittere quemquam,
Qui per Misenos bellum circumferat agros,
Sponte id esse suæ. Quòd si sit copia dandi,
Quæ petat Olca; tamen se religione teneri.
Ille ubi consulti vidit responsa Senatûs
Asper & admissis semel irritatior iris,
Nempe, ait Ensigero stolidi servabitis urbem;
Quam subitò in cineres ignis deponet inanes.

Dixit: & admotis per lata suburbia flammis,
Vßit opes humilis turbæ, populatus amœnos
His ipsis hortos structos à divite censu.
Iamq; crepant iterum reboantq; tonitrua fusi
Æris in humanas Stygis atræ munere clades.
Non segnes hærere animis, lamentaq; cives
Edere, sed patriæ pars hæc defendere muros,
Altera Vulcanum tectis arcere propinquum.
Ecce autem interea dum fumo obscurior aer
Lucem oculis aufert, tenebrasq; offundit inertem;
Ignotum muro tacité successerat agmen,
Et tormentorum vafer hostis ademerat usum
In mediâ rerum dubio caligine civi.
Mœnibus Olca videns equidem se poße potiri,
At si defensor non exuat arma supremam
Vitæ impensurus, quam desperaverit auram,
Non sine profuso certam fore sangvine palmam;
Destinat ad populi mandata secunda Magistros:
Gramineas frustra civem adfectare coronas,
Nequicquam sollers sumtis qui sudet in armis
Iam victus nisi victoris discrimine parvo
Inter pauca neget vitæ intervalla necisq;.
Dent fidas igitur dextras, patriæq; ruinam
Obsequio vertant Romanum in nomen ituri.
Esse aliquam, sed quam solo à victore salutem
Accipiant, sensêre Patres civesq; miserti
Servandæ jam non genitorum vulnere prolis.
Castra petunt gemini Primorum ex ordine lecti:
Contribuunt totidem Philyrææ templa Minervæ:
Qui pacem exorent æquam, qualesq; pacisci
Iure Ducis sarto liceat Misena tenentis
Arva, suis referant non duro fœdere leges.

Rumor erat, patrias rediisse ad propria turmas
Vulgatus castris primùm: ne talia cives
Auxilia obsessos animent, si nuntius idem
Stringeret urbanas pennis velocibus aures,
Annuit Olca preci; pateat modò porta cohorti
Præsidio admissæ, fugiatq; hostilia civis.
Ingressos Proceres pactis cum talibus urbem
Subsequitur legio: non sufficit illa ferendo,
Ampla licet, numero: Ductor fora milite complet,
Augustasq; domos, & egentum tecta Quiritum.
Postera depulerat stellas aurora micanteis,
Cùm summi venêre Duces; præstantior armis
Papinius, belli commißis major habenis
Gabretæ Princeps oræ: jubet ille catervas,
Quas superesse videt, totis excedere portis,
Disponitq; tubos ignemq; atramq; mephitim
Et dubios inter fumos sua tela vomenteis,
Ensiferi contra munimina celsa GeorgI
Clausa hosti, nondumq; obnoxia Cæsaris armis.
Vim metuens Drestena cohors & inutile fatum
Saxoniæ Domino, si quam dare nesciat hostis
Vitam cum partis dulcem non auferat; arcem,
Quam videat tantis succumbere viribus, offert.
Cessavêre minæ tormentorumq; furores,
Tutaq; abit Misena manus, gaudetq; recepto
Deditione loco victor pro Cæsare miles.
Vrbanos intra consedit nocte Penates
Sollers Papinius: campos vesanus apertos
Ductor amat temere civi diffisus inermi.
Ad sua conversus reduci cum milite Saxo
Postquam conspexit latè fumantia rura
Atq; urbem didicit captam, quam Musa novemplex

Mercuriusq, colunt, justas accensus in iras,
Et tamtas, dixit, concepit pectore Diras
Ductor iners scelere hoc nimiùm crudelis! & insons
Regni turba mei periit! vastataq, tellus!
Oppidaq, firmasq, arces urbesq, superbas
Cæsaris invasit miles! suntq, hæc mihi parta,
Dum licuit, fidei constanter præmia cultæ!
Aut quid suppliciter superûm procumbimus aris,
Ne Ciconum populos, Scythicas ne Numina gentes
Finibus immittant nostris; cùm veriùs antè
Exoranda forent, ne monstra hæc talia nostri
Nostras in pestes paterentur vivere cœli?
Naturæ exosas mentes si vincere nostrum
Non erit, Arnemi (præsentibus illa Tribunis
Dicta dabat) Gothici rursum pia Regis ad arma
Confugiamus, ait: caussam non negliget æquam,
Qui nostras veniens Fidei Defensor in oras
Arma prior sumsit, profundere certus in armis
Sinceros animam cultus sincera secutam
Sacra Dei: cujus nullum consortia Numen,
Si quod inest animis aliud cœlestibus, ambit.
Huic contrà meritum breviter præfatus honorem
Teutonicis prognatus avis Arnemius, at cui
Tradidit armorum Mavors Rhodopejus usum,
Scitaq, commissæ momentaq, singula pugnæ
Aerii monstrans duris in collibus Hæmi,
Saxonici post sceptra Ducis vox altera Martem
Accendens seu bella premens: Quod cœpit & usit
Dux stolidus, nostrum est: neq n. fiducia lætis
Ulla sedet cœptis: tamta est ignavia menti.
Solas necte moras, Philyrææq, mœnia primùm
Milite cinge Tuo; dein quæ deserta remansit,

Præsi-

Præsidiis regio firmetur, & omnibus oris
Invigilent tutâ positæ statione cohortes;
Ille pavens non belli artes non audiet astus
Papinii; sed terga fugæ temeraria vertet.
Hæc immota tamen staret sententia nobis,
Si non extremo positus ceu limine fati
Cæsar opes munire suas aut perdere regnum
Quæreret unius summo discrimine pugnæ.
Ergò omnem Ausoniam movit Proceresq; Latinos
Agminaq; Illyricæ gentis Dacumq; ferocem
Hactenus armavit: quorum pars maxima ferro
Gentis Hyperboreæ cecidit, pars Numinis irâ
Immittente luem: patriis quibus ultor ab agris
Non alius veniet, nisi quem contraria nostris
Castra tenent: quæ si miles numerosior intrat,
Tota tamen manus est, quâ stat Romana potestas.
Cùm pateat fœdis ditio Misena rapinis,
Nec scelere abstineant, non, si sub mœnibus ipsis
Proq; Tuis castris pubes aptissima bello
Excubet, hostiles inter confinia turmæ;
Cogimur infestis Martem committere signis.
Si tamen, hoc ipso quia robore nititur hostis,
Quo fracto nullam poterit sperare salutem,
Sit quamvis Tibi durus eques, qualemq; juvabat
His bellis habuisse, pedes sit pectore firmo,
Inter inexhaustas dubia est victoria cædes;
Nil temere audendum, donec conjunxerit armis
Arma Tuis heros, cujus facta inclyta cœlo
Terra patens, nomen cui fecit Agenoris, effert,
Non Libye, Soliq; tacet subjecta Syene,
Non Scytha: qui missis faciem victoris adorat
Muneribus. Sperent nihil illo immania viso

Pectora;

Pectora; vel nostro constet victoria nobis
Sangvine. Tum si quas jactat Forgastus acer
Isolamisq; ferox, si quas in pralia vires
Lesciades duxit: qua fidit Enopius audax
Aut Scodius dextrâ; quo se pugnare Tonanti
Robore Tercinius Corpasq; insanior audet,
Ostendant factis: nec Tu Phallosthenes annis
Inferior Ductore Tuo, nomenq; secundum,
Tuq; Benicausi vanis sermonibus aures
Hostileis lacera: si, Vastri, masculus ardor,
Si Veveli, si Breune Tibi; seu tamta, Merodi
Est animo virtus, quamta est facundia linguæ;
Seu Tibi Pistori: nec Te Vitorse minorem
Hercynideq; negas, generis cui stemmata debes;
Tu quoq; Cæsareas Aquilas in bella secutus
Eridanum fugiens si laude moveris avitâ
Et gentis Gonzaga Tuæ natalibus altis;
Aut verus pater est nec per mendacia Mavors
Quæsitus fuit Olca Tibi; quos exigit usus,
Hos præstate viros, & Tu Mavorte parente
Dignus in arma ruas: ut eant in præmia laudum
Virtutem doctæ nullam contemnere mentes.
Sic ait, incusans jam non fera corda Tribuni
Illyrici Latiosq; duces, Te pessime Galla,
Teq; Coronini, vel Te Styge Cerbere natum,
Nec vos Vindelicos extra commercia gentis
Misenæ positos, positos vel limine in ipso
Vos Aprostenios, & vos Herracide cretos,
Ægoriosq; Duces, & sanis nobile thermis
Fugeriumq; genus, vel Te Maternica proles,
Aut quibus invisum Pietati Lucida nomen
Petra dedit: sed vos tritavo Duce Saxone natos

Sassi.

Saſsigenas geminos Dominumq́ Tubantidos oræ
In patriam in patriæ ſtringentes viſcera ferrum;
Interea in quasvis volvens miſerantia partes
Lumina Dreſtenſis confuſum ruris honorem
Et ſtrages hominum lacrumis adſpexit obortis.
Qualis odoriferis Arabum quæ ſaltibus altâ
Arbore ſuſpenſos avis illi cognita genti
Gaudet habere Lares, ſubolemq́ his credere parvam
Inſidias metuens, dirum cùm fortè colubrum
Tendere proſpexit ſinuoſi corporis artus
Summa per arbuſti & funeſto incumbere rictu
Penſilibus nidis, generis jam vulnere facto,
Iam nece non dubiâ, ſilvas gemebunda pererrat,
Et multo miſerum luctu teſtatur amorem.
Aut qualem catulis, cùm fortè reliquerat antrum,
Ablatis, rabies quos ſæva peremerat urſæ,
Fama vetus torvam memorat planxiſse leænam;
Iuſtis vindiciis, poſtquam, quò fugerat hoſtis,
Neſciret rigidæ ſuperare cacumina quercûs,
Poſcentem dextras hominum ſtrictasq́ ſecures.
Rex pius extremis victricia ſigna Nariſcis
Intulerat, non Boje Tuis ſpatiatus in hortis:
Quos primi coluêre Duces, Dux ultimus auxit
Irriguos Iſaræ præter labentibus undis.
Quales vel Veneri coluit dilectus Adonis,
Vel Maſsyle Tuas ajunt habuiſſe puellas,
Nunc quoq́ non illo tutos cuſtode futuros,
Qui poſitus fuerat, Libycum ſi littus obirent
Herculis arma Gothi. Summæ firmiſsima palmæ
Anglopolis deerat ſenſim tractura ruinam
Obſeſsis à Rege viis: qui parte relictâ
Militiæ propius jam tendere Cæſaris aulam

Pannonios inter superos sua castra parabat,
Cùm stetit ante Gothos Misenûm missus ab oris
Pulverulentus eques; qui facta immitia gentis
Obscœnæ memorans atq; inter singula motas
Vix cohibens lacrumas Regi sibi jussa ferebat:
Posceret hujus opem, Superûm qui militet aris,
Et miseræ sub Rege suo passæq; furorem
Cogentis Domini sacra ad temeraria turbæ,
Quem metuant nunc Roma potens, Papæq; secuti
Dardanidæ cultus: cui farris adorea parvi
Et Pharium Deus est Numen quod nascitur agris.
Illum, Eumendorio qui monstra immania cœlo
Nuper abegisset, nunc si mala nôrit amici
Admissumq; nefas & militis ausa Latini,
Monstrorum segetem ferro victore resectum
Iret sponte suâ (tamtum se fidere rebus
Atq; animis Gothicis) quâ fas hac voce rogandum.
Annuit oranti Rex & spem fronte serenat,
Quoq; erat excelso premit altum corde dolorem.
Postera lux aderat, roseisq; invecta quadrigis
Nocturnas aurora polo dimoverat umbras.
Membra prior stratis domitor terræq; marisq;
Excitat, exiguam dederat quibus antè quietem,
Secum animo volvens Miseni incommoda belli,
Tardatumq; decus palmæ, cursusq; moratos,
Et lætum victoris iter, bellumq; futurum
Cum Duce non vano, si vanum attendere nolis
Marcomanum, belliq; exordia digna gerendi.
Venerat interea de littore missa Batavo
Fama bonum quo non aliud velocius ullum,
Certa satis, veriq; tenax, & prodita ceris
Principis Errici; cui sunt arbitria belli

Tradita Mattiaci: Tungros in fœdera Belgæ
Devicto venisse Mosâ, quoq; iret in hostem
Vectibus & claustris tutum Mavortia pubes,
Occultas quæsisse vias sub fluminis alveo,
Ac terræ penetrasse sinus, Hecatenq; triformem
Et Stygias transisse domos horrentibus umbris:
Qui certam referant pacem, misisse Namurcos,
Cultoremq; soli populum, quo Nervius acer
Fixerat antè Larem: diffidere rebus Iberam
Bruxellæ Dominam: cui nunc erepta dolorem
Silva Ducis moveat, domiti nunc Marte Batavi
Trajectus fluvii: nec leges condere, quales
Gentibus imponat metuentibus arma nepotum;
Poscere sed, quales victor non abnuat æquus.
Talia littoreæ gentis succedere voto
Lætantis rerum Domini volat alter ad aures
Nuntius: Exemti terrenâ sorte parentis
Magnum ornamentum Ladilaum, dulce suorum
Sarmatidum decus, & cognatam sangvine mentem,
Nec Gothico, partis per Moschica bella triumfis,
Victori indecorem, majorum ad sceptra vocari.
Ille quòd egregias atq; uno in pectore raras
Conjunxisset opes animi, studiumq; Minervæ
Gradiviq; patris terror Tuus, impia Thrace,
Dum Roxolanas cæptis ingentibus arces
Verteret invisus gelidum potantibus Hebrum,
Quòdq; referret avos, quos Rex Arctous haberet,
Hujus inhærebat gratissima cura medullis.
Ergò, ait, ô Superi, pia respexistis ad arma,
Heicq; inimicus Iber aut ista piacula solvit,
Quæ trux Belgarum genitor commisit in oris
Tunc sacra bella gerens, aut nunc quibus impia proles

Gaudet abesse modum superans immania patrum
Ausa novis Furiis; heic Tu Ladilae potentum
Iagelloniade Regum stirps, aptaq; bello
Dextra meumq; genus Regni moderaris habenas;
Quod postquam natura Tibi voluisset avitum,
Asseris ingenti Tibi nunc virtute, nepoti
Asserturus idem meritis virtutis avitæ.
At vobis dignæ stabunt encomia laudis,
Incluta Lechiacæ consultaq; pectora gentis,
Quos non externo subnixum robore nomen,
Martia sed virtus hæc in suffragia misit,
Vobiscum in quasvis certum est descendere leges
Æternæ pacis; pacem si poscitis æquam.
Hornius ut Vispos nobis cognominis heros
Terreat, ut subigat fraternas Cæsaris arces,
Mittat & ut domitum juga sub Borealia Rhenum,
Gallica ducturus Gothicas in rura catervas,
Nî pax, quam colimus, cultæ nisi pacis obessent
Fœdera, vos nuper (sic agmina densa Tribunosq;
Alloquitur primos) didicistis ab indice certo.
Martia magnanimus semper fugit otia Baudes;
Permeat ille Tuo gravis Agrippina colono
Vicinam Menapis oram veteriq; Ceræso:
Quâq; pedem ponit, nostris hanc adjicit armis.
Auspiciis agimur lætis. Vos fidite cœptis,
Teutonici Proceres, nec quem pia Numina finem
Ostendunt nostro concessa per arma labori,
Huncq; animum, aut animi dignas spes fallite nostri.
Quòd si quæ vobis victoria quæritur ipsis,
Hanc mihi nec versæ temerant perjuria mentis,
Fœdaq; proditio; jam conclamata jacebit
Roma per Ausonias funus lacrumabile gentes.

Laude

Laude satur solà, si me divina voluntas
His bellis superesse volet, cùm victa triumfum
Regna mihi dederint, patrias in Regna cohortes,
Majorum quæ parta mihi pietate, reducam.
At tu serva animum, sangvis meus, Arctica pubes:
Nempe ad Teutonicos via non erit altera portus,
Quâ patriam repetas immensa per æquora terram
Cumq; thori sociâ genialis pignera lecti;
Quàm per Misenos colles per tela per hostes.
Dixerat: at studiis certare ingentibus omnes
Et Gothus & Teuto, quasq; audax Belga probasset
Ductori vires ac bello corda ferendo,
Hæc rerum Domino promittere sacra gerenti
Arma Deo: non, si fuerit Germania pulsis
Hesperiis, ajunt, bello defuncta Latino;
Ardori satis est, hostem non cernere, nostro:
Ille Tibi, seu Roma fugæ sive ultima Calpe
Aut Ganges pateat nostro procul Orbe remotus,
Quo domito imbellem gravis urget Celtiber Indum,
Rex Auguste, Tibi per vulnera nostra petendus.
Hæc facilem ad patrias sedes nec laude carentem
Sternet palma viam. Tu viribus utere nostris,
Tu virtute Tuâ; donec qui limine Regni
Iussit abire sui, victus Te Cæsar adoret,
Et Corybas Latius vexatam Atlantidos oram
Exul eat. Sedet in vultu fibrasq; per omneis
Mars sese insinuans odiis hostilibus implet
Præstanteis animos. Quales è rupibus altis
Viderunt aquilæ prædam cùm valle profundâ,
Nunc ipsæ admittunt iras, nunc pectora cari
Parva acuunt generis: firmis annititur alis
Maternos jam docta sequi nova turba volatus,

Docta suas vires, nec sangvine nescia fuso,
Vngue quid hamato quid rostro possit adunco.
Spadicem primus generosæ matris alumnum,
Insignemq; armos, nec Te virtute minorem,
Quo sedit domitor mundi, quo vectus in hostem est,
Rex conscendit equum. Iam Tu Misena bis, inquit,
Ora pates hosti bisq; hic quærendus in illâ est:
Nempe sub ignoto vincatur ut Austria cœlo.
Fugit eò, Vos corda Duces Mavortia, magnum
Quod fuit Imperium: sunt illeic mœnia Romæ,
Sunt Latii fasces, nosq; hac regione viarum
Tendimus in Latium. Vestro si munere vinco;
Non ulli insessas hosti transibimus Alpes:
Nec levis arma Ligur nec amator sumet Hetruscus.
Talia fatus equi flectit spumantis habenas,
Ingrediturq; viam: sequitur Vinaria proles,
Pectora bina Ducum multis exercita pugnis,
Tu Bernarde prior, Tu Regi nomen amicum,
Et cum Gustavo nostræ spes altera gentis
Horniade. Tendunt fulgentes ære catervæ,
Turmarumq; duces. Succedit Carolus acer,
Saxo genus, Numidâq; gerens cognomen ab urso.
Tu magnum Gothicæ gentis decus, ardue Nili,
Agmen agis juxtà patrio sub Sole coactum:
Tu ponè Hochiade Lilli: cui signa moventi
Parebat Bodico devectus littore Finnus.
Liquerat Hercolithus patriam, cognata perosus
Marcomani Ducis arma, Gothæ conjunctior Arcto.
Proximus ille trahit caussamq; & castra secutas
Regia laudatas juvenili robore dextras.
Nec Te dilectum Regi Vincelle tacebo,
Teutonico carum populo caput: idq; refert

Victo-

Victorem per bella pedem, patriæque negatum
Pacis opus.
Instat Ameltonius, qui missus ab Orbe Britanno
Appulerat turbæ Loxam Raviumque bibentis
Dux animis armisque valens: quem Grotius urget
Incumbens; illi manus ampla Rhodosthenis hæret.
Hinc Iselerus amans pulcræ virtutis & almâ
Laude fovens ingentem animum subit ordine longo;
Nec Tu carminibus nostris indictus abibis
Minciadæ claro meritus præconia facto
Chersodropa, dignusque pari Mizephale famâ.
Tu cunctis hortator ades, Tu fœdere censos
Militiæ sub signa vocas, partesque per omnes
Sollicitum versas animum, non parva Cnipusi
Munia dispensans præclaro munere functus.
Pergit tota manus peditum, cristâque decorus
Fertur eques: tubus huic distinguit ephippia parvus:
Quales é solido sub avorum secula ferro
Ætnæos constat primùm fudisse Cyclopas.
Longior & qualis majora tonitrua condit
Est humero peditis. Dant militis arma fragorem;
Surgit humo pulvis: moto de pulvere surgit
Nubes alta polo: procul excitat ære canoro
Audaces animos taratantara Martis amorem
Incutiens: horretque omnis vicina latè.
Nondum lux alto decesserat altera cælo,
Quæ post bis senas Phœbeia redderet Orbi
Sidera; ad Euphoriæ cùm moenia verterat agmen
Rex longum permensus iter. Venêre Senatus
Obvius & populus, propiùs dum tendit amici
Ad portas populi: paucæ cum Rege cohortes
Succedunt Laribus: mansit pars maxima castris.

Vrba-

Vrbanis exclusa focis & limine valli.
Inde famem donis explent Cerealibus: addit
Terga boum in numerum capitum mens provida Patrum;
Ac tum fessa gravi requierunt lumina somno,
Rege gravem solo non admittente soporem.
Audierat cunctas unito robore vires
Marcomani vetulique Ducis subsistere toto,
Leucopetram qui spectat, agro, murosque teneri
Vrbis ab hoste suo: compendia quaerere belli
Hunc ratus & summam infandi sibi poscere coeptis
Ipse, quibus superûm Rex adspiraverat armis,
Fretus & hac causâ, sanctis quae sola saluti
Mentibus, ingratas optato fine laborum
Praecipitare moras gaudet pro Numinis aris.
Formosum interea Phoebus repetebat Olympum,
Purpureum cui prima decus Tithonia conjux
Indiderat: primus redit ad pia munia Ductor
Arcticus, hinc campo sua castra recenset aperto.
Ire duces turmasque sequi peditumque catervas
Imperat, & recto descendere tramite in agros,
Quos Eumondorium laetos habuisse colonum
Mente probâ recolens, at nunc squallentia tristi
Rura situ spectans gemitum dedit, huncque furorem,
Dixit, iners Ductor foedâ cum gente luetis.
Vexatus toties cùm viderit incola terrae
Inferno vos sacra Iovi capita ire sub umbras.
Vt Gothicas ventare manus Sudetica rumor
Agmina pervasit; Dux civem exponere praedae,
Et templi spoliare sacrum, rurisque relictum
Igne cremare decus: pavidi sua damna Penates
Luxerunt, Xeniusque Larem qui Iupiter ambit.
Hinc Te Lussa petit. Quòd lento incedere passu

Arctoas

Arctoas acies, & adhuc procul esse putaret
Ductor Alemulius, sua signa reduxit ad Hallam:
Ut subitâ belli pavidas formidine mentes
Cogeret ad leges solis victoribus aptas,
Et quas sors reliquas afflictæ fecerat urbi
Ferret opes rigidi latrantia militis ora
Pasturus succo, qui civibus ultimus esset.
Venerat interea domitor telluris & alti
Sub muros, Neopyrga, Tuos, non infima gentis
Portio Saxonicæ, non urbs mihi cognita famâ,
Visa sed, atq; meo juvenis celebrata Poetæ
Carmine, Leucoreâ cùm Te spectator adirem,
Difficiles fallente moras. It Regis ad aures
Nuntius, æquoreas castris exisse catervas
Ductoremq; senem: solo Phallosthene niti
Lussanum robur. Fatus Rex tempora pugnam
Poscere: Germanus quam nunc statuliber iniret,
Pro cultu Superûm gens utraq; Teuto Gothusq;:
Firmarent animos certi contemnere mortem;
Quæ, si pro patriâ caderet bellator honestus
Proq; sacris, veniat potior vitalibus auris
Rege sub Austriaco: tribuat cui sceptra deorum
Papa faber Gothico missurus Numina cœlo,
Militis in fremitu propiùs committitur hosti.
Vicus erat juxtà, quà transivêre cohortes,
Cæsarei quo sponsa gregis conjuncta Decarchæ
Instructis epulis Hymeneia sacra colebat:
Austriacos quo rumor erat coiisse maniplos,
Et dapibus saturos satiatos munere nondum
Bacche Tuo belli tractare negotia lingvis.
Omnibus huc cursus: nec jam convivia lætos
Admisêre choros, genialisq; atria pompam

 Monstra.

Monstravêre thori: vino pars magna sepulti
Excitiq; feris ululatibus arma requirunt,
Et non invento fugiunt ad pocula ferro.
Hunc crater ingens armat, brevis urceus illum:
Tela, quibus non hunc faber assignaverat usum:
Pars fidum stringit, quem non discinxerat, ensem.
Hos inter surgens procero corpore Rhœtus
Miserat in Gothicam convitia plurima gentem:
Quem Gothus excipiens miles, dabis improbe pœnas,
Dixit, & ardentem contorsit in ora loquentis,
Lucida quem dederant Larium penetralia, torrem.
At Te pro scelere hoc dilectis manibus, inquit,
Inferias mittam, steterat qui proximus illi:
Cui pedes Arctous bis adacto ad timpora bisq;
Syncipiti illiso rupit titione cerebrum,
Fractaq; cum sanie permiscuit ossa ruentis;
Esse nefas credens, quos sobria pugna virorum
Posceret, in potas gladios convertere mentes,
Fit cædes per tecta frequens; quasq; antè meracum
Tinxisset, fuso maduerunt sangvine mensæ.
It clamor cœlo: sævis concurritur armis:
Et plures in bella ruunt (namq; agmine longo
Hàc quoq; sub signis miles Phallosthenis alter
Tendebat non jam facto tentamine pugnæ
Perrecturus iter) sternuntur corpora passim
Austriadum, Gothicæ nonnullo funere gentis.
Exoritur certamen atrox: venit undiq; pubes
Fessorum subitura locum: jamq; ultima belli
Et rerum liquidò poterat fortuna notari,
Nî Phaeton pronos dubiâ jam luce diei
Abscondisset equos. Gothicos nox illa triumfos
Distulit, & tenebris servavit inertibus hostem.

Hot

Hoc questus rerum Dominus tamen accipit omen;
Iam Sol depulsâ noctis caligine claram
Attulerat lucem, Misena per arva supremam
Hesperio sceleri: surgit cum milite ductor,
Multus in æternam clausurus lumina noctem.
Vidit ut Arctoum contrà procedere Regem,
Instructamq; aciem manibus deposcere bellum
Marcomanus Princeps; Lussam jubet urere flammis:
Inde suos, mißis curatum hæc ipsa Tribunis,
Ordinat: immensi spatium ingens machina campi
Prima capessendi tenuit fiducia belli
Ante duces. Caussæq; piæ pulcriq; laboris
Dictorumq; priùs Gothicum Rex admonet agmen,
Teutonicasq; manus. Ac tum tormenta tonantem
Non falsò mentita Iovem reboare per auras,
Ereptamq; diem placidi sub lumine Phœbi
Invito cœlo tetrâ confundere nocte:
Non aliter, quàm cùm naturæ sponte laceßit
Interfusa polo ventorum turbine nubes
Iucundos lætæ meßis sub tempora Soles,
Obscuræ subeunt tenebræ nimbiq; feruntur
Seu malè deprensi nullo jam luminis usu,
Gutture seu pleno pluviis crescentibus hausti:
Infestos metuens imbres tonitruq; coruscum
Frunde sub arboreâ, quò fugerat antè, viator
Delitet, & gratæ servat confinia lucis.
Præstantes animas atq; ævi robore fisas
Demetit alternis infelix machina bombis.
Ferrea consensu cessarant fulmina Martis,
Cùm pius Augustus ter Numina sancta precatus
Ipse prior discrimen adit: Strictoq; per hostem
Infertur gladio: quem Martia corda sequuntur.

 Ipse

Ipse tenet dextram, lævæ præfecerat alæ
Te Mavorte satum Bernarde: Cnipusius agmen
Ductabat medium, parsquæ firmissima belli.
Fit strages horrenda virûm, sonitumq; dederunt
Arma illisa solo peditumq; equitumq; cadentum.
Parte aliâ, numero longè quòd vinceret hostis
(Ter Gustave Tuas æquaverat ille phalanges)
Inclinare acies est Arctica visa, potito
Parte metallorum Gothici Phallosthene Martis.
Præcipuè Venetam Latii afflixêre cohortem
Illyriciq; duces: quam Tu Vincelle regebas
Non ducibus Latiis Titiumq; bibentibus amnem
Virtute inferior, sed quæ Tua signa secutæ
His dexteris impar armatorumq; recensu.
Vtq; Tuas vidit, Nili fortissime, turmas;
Incubuit visis numerosior Austria turmis.
At pater omnipotens formosam ostendere nubem
Visibus humanis, dubiamq; inducere lucem,
Iamq; aliquid noctis, jam totam infundere noctem
Expirante die. Stetit ad miracula miles,
Præsentisq; Dei sensit venerabile Numen.
Dumq; pavent omnes, vox est audita loquentis
Nube serenatâ: Qualem pietate mereri
Humanæ possent mentes, quem scandere detur
Pectoribus fædâ scelerum contage solutis,
GVSTAVVM superasse polum nunc ætheris alti
Indigetem, nec jam studiis mortalibus angi:
Quæ Gothus & Teuto sumsissent arma, probari
Numinibus superis: firmo si fædera nexu
Vtraq; gens coleret, meritam non defore palmam.
Audito, Regem, cujus justissima bella
Indomitumq; malis animum, clarosq; triumfos

Sera

Sera dies referet, divorum sede receptum,
Atq; ipso egregiam spondéri à Numine palmam;
Incensæ mentes, pietas quibus arma piusq;
Induerat ductor, Superûmq; celeusmate ductæ
Bella ciunt ultro: redit in præcordia virtus
Et belli generosus amor: pudet arma cohortis
Illyricæ timuisse, pudet timuisse Latinæ:
Iamq; instant hosti, restui velut æquoris unda,
Quæ redit & decimo gravis urget littora fluctu.
Insignes ductorum animas totasq; cohorteis
Arctica Lethæas pubes demittit ad undas.
Turba ingens ripæ non transmissura paludem
Assidet: ac humileis inhumati funeris optat
Exequias terræq; parum. Quæ lugeat olim
Aut dulcis conjux fatorum ignara mariti,
Aut caræ subolis fatorum nescia mater,
Ora jacent campo. Tu cui præsaga futuri
Mens Gothici Regis dederat Mavortis habenas,
Ut si fata deûm ferrent ita, primus haberes,
Teutoniæ Bernarde decus, præstantibus armis
Obstanteis cuneos rumpis, mediosq; per hostes
Invenis ense viam, digno jungaris ut hosti.
Callaicus cecidit peditum dux: occidit Astur
Astur, vicinis equitem qui duxerat agris.
Hæret ei, patrium qui Cantaber egerat agmen,
Hactenus indomitum pectus, nunc missus ad umbras.
Nec modò captivi redeunt tormenta metalli
Lethiferiq; tubi; venit hostis plurima fusi
Machina Cæsareæ referens insigne volucris.
Effugit veniens Philyras ad mœnia ductor
Summus; & inclini gemebundus corpore fidum
Pressit equum, timuitq; suas in vulnere Parcas.

Miserat interea cùm staret & alea Matris,
Et dubii nondum sors explorata pericli,
Talia ductori vetulo mandata ferentem:
Negligat Hallensem summo discrimine prædam,
Quod Gothus attulerit: cujus nunc Austria primùm
Non metuat vires, sed in ipsis sentiat armis.
Ad Lussam redeat, submotaq; signa reducat.
Imperium Ausoniæ pendere hoc cardine, quo sors
Versetur præsens: quæ si satis improba vertat;
Quas superesse putet Latio spes deniq; ? quo res
Sit Romana loco, quo sacra diiq; futuri,
Cogitet. Ille velut commota leæna gementis
Ad vocem catuli, dum frundea rura pererrat
Vicinumq; nemus, rapido velocior Euro
Ad spelæa redit; celeri vestigia cursu
Flectit, & Hallenses quem duxerat usq; Salinas
In campos ubi Lussa fuit cum milite fertur.
Infestum accendit rursus tuba Martia bellum,
Et sitit Olca fugam sociis fidentior armis.
Fit strages major: certatum est viribus æquis:
Vi tamdem majore Gothus perrupit, & agmen
Dispulit æquoreum: strepero sub verbere fractæ
Dissiliunt galeæ, penetratq; ad viscera mucro:
Ora cruor pectusq; lavat: gemuêre pudoris
Oblitæ mentes: quarum miserescere nescit
Innumeras inter cædes Septemtrio vindex.
Papinium ut vidit ductor Vinarius, ibis,
Inquit, & hæc referes non mendax scilicet umbris
Tilliadæ: lætam domito Tibi Saxone Romam
Teutoniæ populum ritus docuisse Latinos.
Trajectus fervente globo, quò serus equestrem
Accendit pugnam Mavors, quà tempora gessit

Ductor

Ductor Alemulius non admittentia ferrum,
Excutitur, fulvâq; jacet moriturus arenâ.
Bordiadæ campo truncus jacet, ôraq; tabo
Fœda procul longo miles disjecerat agro.
Te quoq; Hyperboreæ gentis furor ille, Fobesi,
Abstulit, & plenis cæsorum misit acervis.
Additur his saturum pecus & sua claustra perosum
Cæsare pro caro ferrum qui sumserat Abbas
Fuldensis par Præsulibus, nuperq; locutus
Magna Leoniscus, nec non Cameropius acer,
Tuq; animi fidens Vastri: compostus eâdem
Est strue Taxillus: nec defuit atra cupressus
Lampridii, multâq; virûm sub nocte latentûm.
Littoreum cecidisse Ducem cùm mœsta viderent
Agmina Marcomanæ gentis, gentisq; Latinæ;
Corripuêre fugam: gravis est fugientibus Arctos;
Tunc primùm Hesperiæ periit pars maxima turbæ,
Turbatiq; duces immania vulnera passi.
Amissi in pugnâ quos possent flere Triones
Exigui numero. Tu nostræ portio gentis
Teutonicum Gothicumq; genus GUSTAVE, priorum
Mens Geniusq; ducum, ductorum norma sequentum,
Et quo Te nôras ortum nunc reddite cœlo,
Non desideriis umquam revocabêre nostris:
Nec nostræ pietatis erit, Te poscere divum
Terrenam in sortem, cœlum Tibi demere votis.
Tu meritis lætare bonis, nosq; instrue pulcri
Exemplo decoris. Dum circumfunditur armis
Hesperiis pugnatq; suc s Iselerus in hosteis,
Corruit exanimis mittens cum sangvine vitam.
Unà Chersodropas pulcro sua lumina fato
Clausit & æternam meruit per vulnera famam:

Ducto-

Ductorum gemini, Latius quos sustulit ensis.
Si quos præterea vis urget ahenea lethi,
Indice non longo tenuis sunt nomina vulgi.
Pars fines, Bojeme, Tuos saltusq; requirit
Militiæ profugæ: Philyræas appulit arces
Altera. Dum victor succedit mœnibus, urbem
Sublato custode capit. Petit Austrius arces,
Confisus posito muri per septa metallo.
Vim postquam sensêre Gothi rimantis apertâ
Jam tellure vias; vitamq; illiúq; tuendæ
Res pactæ cessêre manus, quæ signa secutæ
Marcomani fuerant. Dux ensiger arce potitus
Conscripto veteres augebat milite turmas
Iuncturus Gothico vires cum robore, diri
Vindicias ausi: quo Roma nefaria crevit.
Artica victores redeunt in castra manipli.
Jamq; adeo portum, quò fers fortuna, tenemus:
Quaq; tenus licitum prodire faventibus auris,
Emensi dubium pelagus per littoris oram
Ingredimur: nutusq; deûm servamus ab alto.
Rursus enim tentanda via est, quocunq; vocârit
Impuleritq; ratem veniens à puppibus aura.
Consurgit rabies ventorum: atq; humidus Auster
Noctem infert, tetrâq; diem caligine condit.
Accola Benaci Siculos in fœdera traxit,
Scyllæumq; fretum: medios excivit Iberus,
Qui Clanium potant vacuis grave flumen Acerris;
Frænet ut Arcturi positum sub sidere mundum,
Et colat ejectos iterum Germania divos,
Cognatusq; Gothus. Sed non Oenotria tellus,
Marranæq; manus; non, si feralibus armis
Indus opes omneis Tethysq; immensa ministret,

Quas

Quas Oriens habet & lustrata cubilia Solis,
Fatorum æternas poterunt dissolvere leges.
Nunc Te respiciunt unum mortalia corda,
Oxenstirniade, divûm genus: altera magnæ
Latonæ proles nobis ades: impia nondum
Tantalis edomita est: superest cum matre propago
Tergemina, Arctois Tibi conficienda sagittis.
Non omnis periit Gorgo: Stymphalla colentum
Restat adhuc volucrum numerus: Lernæaq; serpens
Fœcundâ cervice gerit, quo pugnet in hostem.
Putre solum, an crimen nostrum, Pythona reduxit
Innocuum terris, ferias si Pythius alter.
Cùm veniam orabunt & amicæ fœdera pacis
Beticolæ gentes & Roma superba triumfis,
Ex aliis, Gothico non umquam ex hoste relatis,
Ac legum patiens fuerit monstrosior ales;
Aurea Tu condes pacato secula mundo.
Interea seu Te duri tenet alea Martis,
Speq; manuq; animas ductas in bella cohortes,
Seu Te castra fovent; sedet alto pectore Vatum
Cura Tibi: subeunt almæ præconia laudis
Nec nostrî immemorem aut Musæ sacra bella canent
Quæ mihi Parrhasiis cœli pars debita signis
Nicodamas patriæ magnum decus atq; amor idem
Cùm referet virtute Tuâ composta; monebit,
Vivida se calamo submittere lemmata nostro:
Unde petant seri virtutum exempla nepotes.

Tumulus

Serenißimi & Potentisſimi Principis ac Domini

DN. GUSTAVI ADOLPHI MAGNI

Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regis, Magni Ducis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, Domini Ingermaniæ &c. verè Augusti ac Triumfatoris omni memoriâ venturi temporis dignißimi, pro verâ Numinis religione, Germaniæq; libertate in Misniæ campis ad Lussam anno m. r. M. DC. XXXII. VIIII Id. Novembr. tam piè quàm heroicè occumbentis.

Quicquid Hyperborei potuit superesse Leonis,
Heic jacet. Vna omni didita fama loco est.
Terruit Ausoniam: tumidos frænavit Iberos;
Sauromatam leges jußit inire suas.
Teutoniæ populis devicto Cæsare cultum
Restituit, qualem Numina sancta probant.
Ut studium belli virtusq; innotuit Orbi;
Horruit hunc Scythicus Bistoniusq; furor.
Viventis pectus celebrabat & hospes & hostis:
Post cineres idem tollit utriq; polo.
Cuncta Lycaoniæ quæ sidera ceditis Arcto,
Quæq; metus Gothicæ pectora gentis obit;
Vos testor: vidistis enim formosius astrum,
Et quem mirata est Arctos alumna virum.
Arma, quibus licitum defendere Numinis aras,
Sumsit: in his, pulchrum credidit esse, mori.
Dicit hic Annibalem: genium sed nominat alter
Pellæi juvenis: Scipiadenq; Gothum.
Herculeos inter numerat pars magna labores
GUSTAVI promtâ bella peracta manu.
Sunt, qui divinis ducant cognomina libris,
Maccabeumq; vocent, aut Gedeona novum.
Omnibus his major Gothus est GUSTAVUS ADOLPHUS.
Unus enim in fatis Rex Aquilonis erat.

Frid.

Frid. Zamell

EPULUM RURALE
Euthalii.

Lect. S.

CONvenerant apud Glaucidem in pascuis, quæ publica usurpant, cũ Euthalio tunc Prætore magna pars Procerum ejus urbis, tum ii, qui Præturam antè gesserant, & civium ex inferiori ordine nonnulli. Convivio, quod apparatum erat, intereram vir admodũ juvenis. Fallendi ac frangendi temporis caussâ sub pluvio cœlo fiebant ac dicebantur multa. Cratinus Consul vir magni judicii plurimæq; industriæ, exindeq; sũmæ inter suos autoritatis ab aliis exorsus sermoneq; provectus in Poetices mentionem tamdem incidit. Ille cùm varios ejus artis fineis commemorabat, tum præcipuè eum, qui præstantissimus omnium est ostendebat. Heroum enim laudes carminibus absolvi, illosq; à solis Poetis æternitati rite consecrari ex divinis profanisq; libris undequaq; adstruebat. Intentis tunc in me oculis, ut quæ eâ die dicta factaq; essent versu complecterer, rogabat. Parui viro mei amantissimo, carmenq; hoc quale vides, lector, calore eo, qui tum erat, deproperatum eidem exhibebam. Tamti tamen hactenus non habui, ut publici juris facerem: nec fecissem, nisi Te tubæ clangore belliq; strepitu defatigatum ex arenâ in convivium deductum his veluti bellariis reficere, humanitatis meæ rationem duxissem. Fruere proinde hoc mecum ac vale & fave. Dabam Elbingæ postridie Cal. Ianuar. anno m. r. M. DC. XXXIII.

Est

Est locus, Argeum leni quem gurgite flumen
Adluit, & valli terrena repagula claudunt,
Munimenta foris strictas arcentia ripas,
Gramine luxurians nec odori floris egenus:
Quale Tuum fertur, dives Campania, sumen:
Quale decus campis, felix quibus Enna triumfat:
Pascua lascivis semper gratißima bobus:
Tu quibus immeritò, si sint certamina formæ,
Falsum præferres, virgo Sidonia, taurum:
Quo nisi fugisses patrios vectore Penates;
Græcia nec Thebas Cadmeia mœnia nosset,
Nec, quod habet, mundi pars tertia nomen haberet.
Illa quòd urbanis spatio sint dißita tectis,
Quod missi est lapidis, quem fortior impulit armus,
A lapidis jactu nomen fecêre priores.
Annuus hæc Prætor, cui lata suburbia parent,
Et geminus lustrat Curator prata quotannis;
Cum prætextatis multi se Patribus addunt
Civili è numero: comes unà ducitur uxor;
Queis magno Prætor tum festa cibaria luxu
Instruit, & Como lætos indicit honores.
Extulerant lucem conversa volumina cœli;
Quam Iull magnum servans in secula nomen
Mensis ab exactis referebat in ordine sextam:
Tempore quo Prætor festum sollemne parabat
Magnorum Euthalius stirps non indigna satorum.
Illuc ut Proceres igitur vulgusq; Quiritum,
Quotquot adesse juvat, quamprimùm lucida Solis
Mane novo lampas fluctus superasset Eoos,
Conveniant; mandata dedit perferre ministris:
Vtq; viæ tollat, quæ sæpe ingrata morantur,
Tædia; se comitum notis adjungere turmis

Quemlibet in ripâ jubet, & conscendere naveis.
Vtramq; ingenui quondam sollertia fabri
(Namq; fuêre duæ) compactam ex ilice durâ
Ambierat cedrinis versus penetrale columnis
Tecta superponens graciless imitantia crates.
Pervia sic luci, nisi Solis iniquior æstus
Aut pluvii vexent imbres, tunc vellere pulcro
Apta rati præstare umbras, præstare latebras.
Illa, quæ juvenem Pagasæa carina vehebat
Æmonium, cultu patrio seu constitit antè
Littore, seu, postquam ignotum tranaverat æquor,
Phasidos in portu. Iubet hæc velamine Prætor
Purpureo insterni, sistiq; in flumine puppeis.
Iamq; dies aderat, plenâ quæ luce refulsit
Ambiguo celans densissima nubila cælo.
Vt vigiles oculi somni languore remoto
Accepêre diem; sparsi coiêre gregales,
Hucq; ruunt, statio dictis ubi navibus: & jam
Consule deducto totum convenerat agmen.
Primus ut adductâ consedit nave Cratinus
Magnanimus Consul germano sangvine junctus
Prætori Euthalio, quem turba secuta virorum est;
Iussi omnes, ut cuiq; locum signaverat ætas
Aut merita, in scamnis ostro considere tectis.
Detrudunt puppim nautæ, terrâq; remotâ
Sollicitant subitis cumulatas imbribus undas.
Vidimus & turbam, quæ tempora crine colendo
Distulerat, navimq; implerat sola secundam,
A tergo procul adducto vada verrere remo.
Interea dum pars sermonibus otia lætis
Frangit, at hos Iove sub pluvioso seria mordent;
Optatam, quà cursus erat, contingimus oram.

Ve

Ut terræ admota est propiùs firmataq; puppis,
Non dubio exscensu; prior arva virentia Prætor
Calcat, ad exiguos deducens quemq; Penates:
Quos pecorum multâ coluêre ætate magistri.
Est domus exilem confessa in limine cultum,
Intus, si subeas, ingrato squallida fumo,
Et piceâ exesos nigrans fuligine tignos:
Quodq; imbrem & Solis defenderet ædibus æstum,
Culmen habet cannas, munimen agreste, palustres:
Nec tamen in quâvis cannæ sunt parte palustres.
Qualia percocto Getulus corpore pastor
Figere sub patrio fertur magalia cœlo:
Robustam mater quibus educat horrida prolem.
Hanc servat faciem certæ vicina ruinæ
Porticus ante domum: viridi quam frunde bubulcus
Cinxerat, ut ficto cumularet festa decore,
Pauperiemq; Laris silvarum excluderet umbris.
Stabant heic mappis instratæ ex ordine mensæ.
Imponunt quadras famulæ, mundisq; canistris
Matris Eleusinæ lectissima munera promunt.

Talia dum Prætor properatq; urgetq; monendo,
Littoribus seram vulgus muliebre carinam
Appulerat: miscetq; gregem glomeratq; virilem.
Heic aliquis mediam comitum de plebe coronam
Ingressus, manibus gelido de fonte petitam
Splendenti gutto fundebat in ordine lymfam,
Ex humero niveum lævo mantile daturus.
Protenus alterni nunc vir nunc fœmina juxtà
Accumbunt mensis, vultuq; epulantur amico.
Prima lupi latæ dederant obsonia lances:
Queis tener hærebat breviore paropside turdus:
Hunc rivi exiles, dat Habus vicinior illum.

Hinc

Hinc vitulina subit verubus detracta, boumq;
Lumbus, & à flammâ stridens agnina recenti
Pinguior, ac rubro gallina abrepta marito.
Illius circum piperata liquamina pullos
Fuderat, & matris structor post fercula poni
Jusserat: his crassâ munitos forpice cancros
Submitti, atq; unà gabatas albentis oryzæ.
De fumo veniens posthac annosa probati
Perna saporis erat raro exornata vireto,
Et bifidum linguæ vescum, cæsiq; juvenci,
Quam Lar obscurus fumo duraverat atro,
Pulpa rubens: acris juxtà est embamma sinapi.
Exin, quæ mensas est visa decere secundas,
De grege massa venit, rapido qui rura Nogeso
Proxima (succisis servant hæc nomen ab alnis)
Tondet, & urbanam lucro beat ubere turbam,
Densa, rotunda, gravis, fragranti adspersa cumino,
Tincta croco, lactis meliori parte liquescens,
Qualem Glauci-genæ matres effingere gaudent;
Quali non Morinis qui cogitur optimus agris,
Vestini pecoris non pugnet ab ubere pingvis
Caseus, Ausoniæ non infima gloria mensæ.
Stant pueri circùm, patrii qui pocula zythi,
Quem cōdens anno vernante in dolia Prætor,
Hactenus intactum læto servârat honori,
Et vini statuant cyathos: quod proxima Rheno
Mittit vitiferos tollens Germania colles.
Nondum explèta fames epulis erat omnis, edendi
Ardor adhuc stimulat; cùm rursum flabra furentum
Ventorum emittit reseratis Æolus antris,
Noxq; serenatas tenebris interluit auras,
Paullatimq; diem fugat, & jam lucis ademto

Munere res tetris humanas occulit umbris.
Tum celer emitti nimbus, cursuq; citato,
Quâ parte à nullâ vestitur arundine tectum,
Illabi, atq; illas nunc has superare lacunas.
Plurimus heic mensas, ubi Consul sedibus artus
Flexerat atq; alii Proceres, infecerat humor.
Illeic far niveum, sapidos heic unda catinos
Imbuit: admissas fundunt mantilia guttas.
Ipse madet Consul, madet hic qui proximus hæret,
Et pluviis urgetur aquis. Sed ne usq; maderent,
Inferiore Patres optabant sede locari.
Unus in his repetens pluviis ex imbribus annos
Deucalionei per rura per oppida fluctûs;
Qualia Thessalicæ loca sunt compascua genti,
Qualia littoreis sunt subsidentia Grajis,
Et non dissimili terrarum sorte Batavo,
Prata querebatur nimbis obnoxia & undis,
Tum campos penitùs lætos, aut judice vero
Montibus aeriis prælatos esse negabat.
Dixerat hoc Pharius quondam Tibi, Græcia, Mystes;
Nulla quòd antiqui decoris monumenta foveres:
Quæ tuti servent ventura in secula colles.
Alter Ceycis miseri narrabat amores.
Arsit, ait, Ceyx mediis periturus in undis;
Arsit & Alcyone: vestros non ponitis igneis,
Æquoreæ volucres. Te, Pyrame, noxius error
Perdidit & Thisben: ferro cecidistis eodem.
Demophoon patriis citiùs rediisset Athenis,
Non rigidus cortex langventia Phyllidis ora
Integeret, durumq; forent ea brachia lignum,
Quæ nuce pro vili regnorum sceptra gerebant.
Addit, ut Inachiæ vultum mutaverit Iûs

G Iupi-

Jupiter; & quamtam Saturnia foverit iram,
Pellicis illicitas damnans in conjuge flammas;
Vtq; loqui conata patri mugitibus auras
Terruerit, totumq; fugâ lustraverit Orbem
Infelix nimiùm virgo, nisi Juno laborum
Exorante viro finem miserata dedisset.
Pergit: &, Idæo quæ Thesea misit ab antro,
Inquit, in ignotâ jacuit regione locorum
Regia desertis virgo desertior agris,
Nequicquam implorans excusso fœdera somno,
Fœdera quæ lecti dederat Trœzenius heros.
Incestus furor est, dixit, quo Biblis inarsit
Myrrhaq; clam thalamos invaserat illa paternos,
Patre nefas ulto: partu formosior alter
Non erat in terris; fraternos Biblis in igneis
Mittitur, & durum laqueo sibi finit amorem.
Dum memorat, flevêre novæ sera fata maritæ:
Lumina vix matrum tenuêre senilia fletum.
Laudo pares flammas, reddit Sibienus, & annos,
Sepe senex juvenem duxit sine dote puellam;
Cûi socerum fecêre Lares socrumq; beati.
Hunc ubi consumsit nimia indulgentia carum
Hactenus, exhaustis loculis contemnere primò
Audet inepta ætas, fletuq; inducit inani
In caussas odii, natas his sponte, parenteis.
Exulat omnis amor: discreta cubilia quærunt;
Et vanis lassant alienas questibus aures:
Sollicitosq; animos verum excedentibus urunt.
At ne tempestas lautis incommoda festis
Contraheret frontem rugis aut pectora curis;
Admissus fidicen, docto qui pollice chordas
Tangeret, & plenis animat qui follibus utrem,

Dulcis

Dulcisonum formans digiti modulamine cantum.
Forma decens operis: suprâ cui fistula duplex,
Virginis hæc edens pressam maris altera vocem:
Quas manus artificis de lucidiore metallo
Exactas propter medium, & quà circulus oram
Corpore discernit, plus illustraverat auro,
Atq; è Sarmaticis huc nuper miserat oris.
Mox genio indulgere omnes, magnumq; Lyæum
Poscere sollicitas frangentia pocula curas.
Iam zythi laticem, munus Cereale, remôrant
Convivæ, & Te Bacche unum venerantur amantq;
Nyseaq; Bromiumq; vocant, sempe q; decorâ
Spectandum facie: cui vis infracta juventæ
Vestierit nondum primâ lanugine malas.
Tu sacros animas Vates, Cirrhæq; propinquum
Tutaris cum fratre nemus, lyncasq; coerces
Imperio, curamq; fugas; plenamq; reponis
Lætitiam, & miseris ultrices sufficis iras.
Nyctileum adjiciunt pulcrâ Cadmeide natum
Et Iove, præclaris sed cum Iove cætera donis
Numina vincentem. Tu, cùm pater exit ad oras
Æthiopum, vino mulcesq; hilarasq; morantem,
Et sacra sollicito defendes fulmina mundo.
Euhyon hinc celebrant: subit inde corymbifer Euan.
Macte, fremunt plausu, Lenæe, & honoribus illis,
Et queis præterea tunc, cùm manifesta negaret
Sacra Tibi fieri properans sua funera Pentheus,
Nominibus Te turba frequens Thebana ferebat.
Stat plenis ergò vini indulgere culullis,
Laudatoq; animos Baccho diffundere: Sic Tu
Æternùm hoc vultu faveas, semperq; Thyoneu
Labenteis numeres uvis felicibus annos,

Ingeminant omnes: resonant convivia plausu.
Nomine erat Barses, vegeto cui plurima mento
Canities: multo civis venerabilis ævo.
Cratera hic aptans manibus, veniamq; precatus
Dicendi, tali compellat voce bubulcum;
Postquam magna Pales genialia sacra reposcit,
Ogygiaq; puer Semeles hanc munere pulchro
Prosequitur lucem; prior hæc mera gutture sumam;
Tu pecorum custos, cratera secundus habeto.
Sic duce Te lætos errent armenta per agros,
Et molli saturos distendant gramine ventres.
At, si fossa neget, deducere fontibus undam,
Et pecori relevare sitim; tum si qua minentur,
Quæ studium admittunt, contagia pellere septis;
Has Tibi mandato pones in munere parteis.
Dixit, & è mensâ magnum cratera levavit,
Spumantemq; labro laticem tenus impiger hausit.
Implerant famuli rursum: dedit ille bubulco.
Hic, ut vota probet, firmetq; novißima dicta
Muneris admonitus, tumido dat vina palato;
Nec priùs absistit, quam pocla exhausta supinet.
    Alter erat largo mentem perfusus Iaccho;
Qui, licet Auster adhuc cœlum prætexeret atris
Nubibus, & grandes nimborum lubrica tellus
Acciperet guttas, cœnoq; horreret & undis,
Ter tamen insiliit vacuum ter in aera tollens
Brachia: non aliter quàm cùm furiata Mimallo
Incedit viridi succincta hastilia thyrso
Concutiens, reparat quando trieterica Bacchus
Orgia.   Grex comitum videt hoc, illumq; secuti
Instituunt choreas, & amant versare lacertos.
Iuxtà antiqua boum stabant hyberna, rudiq;

Arrosa

Arrosa umbrabant cannâ præsepia (namquos
Ostentet stabulum cultus, si tecta domorum
Non plus admittunt luxûs habitata bubulco?)
Hæc, ubi non figi vestigia posse videret
Firma satis senior Prætorum ex ordine, cui jam
Quarta magistratûs æstas advenerat acti,
Conjuge deductâ subiit, choreasq; peregit.
Audivêre senis raros socia agmina plausus,
Et simul huc effusa hilares movêre cachinnos.
Nec deerant, studiis quos invitaret iisdem
Seu locus emisso, licet ægre, tutus ab imbre,
Seu lepidi virtus senio non fracta choregi.
Qualem Penelopes inter convivia crudos
Fama procos agitasse chorum fatiq; suæq;
Ignaros sortis (sint hæc procul omina nobis!)
Haut tali stabulo, sed tectis; qualia fertur
Ante, nefas ultum Paridis quàm Græcia muros
Iret ad Iliacos, cùm spernere posset Atridas
Læta domus Priami, coluisse disertior heros.
Quales ruricolæ, cùm convenêre frequentes
Sollemni redeunte die, quæ dedicat Ædem,
Exercent rudibus, non hoc tamen ordine, tectis.
Ante domûs limen turbatâ mente sedebam,
Observans pluvias tempestatesq; sonoras.
Tum Consul patrii quondam pars maxima Regni,
Et patriæ prædulce decus, decus ipse Themistos,
Ipse deo carus, sacris qui præsidet antris
Mæonidum: si fortè Tuas, dilecte Zameli,
Solantur curas, quarum Tibi Numina curæ,
Pierides Musæ, dulciq; hæc otia versu
Fortunamq; dii speras; fac carmine pulcro
Festa patrum seros doceas infesta nepotes.

Nec Tu indigna putes, inquit, juvenilibus annis,
Quæ sene digna probo. Neq; enim Tua carmina virtus
Damnavit, sed livor iners. Insania plebis
Sola meræ est, humilisq; furor; nil credere pulchrum
In censu patriæ, nisi quod firmaverit error
Primævâ rudium deductus origine patrum.
Hactenus asperior vos cœli excluserat axis,
Pierides: raras postquam venistis in ædes
Glaucidos; invidiâ conflagravêre Poetæ.
Carminis hinc spernunt leges, cupiuntq; videri
Turpe quod ignorant, ponuntq; in crimine nomen
Ignavæ mentes & veræ laudis egenæ.
Consule sunt dignæ, dignæ sunt Consule Musæ:
Romano, dixit, dignæ sunt Consule Musæ.
Nec qui Dardaniæ fasces non ambiit urbis
Seu Naso dicendus eques, seu maxima Vatum
Portio Minciades: Tu stirps Calpurnia Piso
Et Vates & Consul eras. Qui Cæsaris iras
Narrat, & armatos cognata in pectora cives,
In fastis alter signabat tempora Consul.
Hannibalem, felix quem ni Campania fractum
Perdiderit, genti positurum jura Latinæ,
Marmaricasq; acies pulcro qui carmine dixit,
Fascibus indecorem non credidit esse Poesin.
Mæonii ad normam qui docta Poemata Vatis
Exigit Andini, non inferiora secutus
Consule, Musarum studiis jungebat honorem
Nominis Augusti non indignante Senatu.
Cui Stilico dictus, cui dictus Honorius ingens,
Scribebat famæ decoratus marmore Consul.
Rhetoras insignes seris qui tradidit annis,
Busanidas latâ Consul ditione regebat,

Nec

Nec pater Augustus, solus licet orbis habenas
Cum Iove tractaret, contemsit Apollinis artes.
Sæpius est illi conscripta Tragoedia fesso
Imperii curis, natumq; per otia carmen.
Vt Bembos taceam, Muretum nostra disertum
Secula viderunt. Vates & præsul uterq;
Gentis erat Latiæ, procerum pars maxima Romæ.
Quis dabit opprobrio, cui non in calce cerebrum,
Tempora dum talo, vitreo seu milite frangunt
Mortales animi, sub sera crepuscula versum
Condere, quem primâ non durus Apollo juventâ
Respiciens idem maturo amplectitur ævo?
Romanas quis nescit opes aut munia gentis?
Pars, quorum memini, Regum posuêre furores
Laurigeri nomen non aspernata Poetæ.
Si quid habet Glaucis, seu conciliavit honorum
Cara mihi Glaucis, tamtò minor urbe Quirini,
Quamtò Sole faces altâ sub nocte micantes,
Vmbra mera est, cives. Ignoscite vera locuto.
Ede Tuos olim, Cleio Drusina, triumfos,
Vinctaq; sublimeis præcedant agmina currus
Degeneris populi: Solâ, hanc purissimus, inquit,
Aspiciat quam Tu LIVORI construis aram:
Quâ diram facient sacra avertentia noxam
Phoebigenæ Vates fixis ex hoste tropæis,
Sorte suâ læti divæq; favore novenæ.
Assensi, dextramq; dedi, promtoq; graphéo
Cuncta palimpsesti tabulis memoranda notabam,
Vir; cui ter senas messes cumulaverat æstas
Sexta: rudes jam tum juvenili ardore Poetas
Damnabam, nostrosq; videns meliora calores;
Quos, fili Gotofrede, mei cognominis hæres

Vnus

Unus adhuc de gente meâ nunc indole pulcrâ
In Te derivas: fletum cui docta papyrus
Sistit & oblati patris instrumenta libelli.
Vive puer: sumtu genitor mihi profuit uno:
Accedent in Te studiis impendia nostris.

Tempus erat, subter freta quo Tartessia Phoebus
Labitur, & Vesper tenebrosa crepuscula profert.
Assurgunt Proceres, & stantes pocula libant,
Huncq; repertori supremum vitis honorem
Esse volunt: tacuêre fides calamiq; sonori,
Et medios rupêre choros. Stipatur in unum
Turba frequens, navesq; petit, funemq; resolvit.
Incumbunt nautæ remis, sociosq; fatigant
Alterni, pariterq; urgent, gaudentq; priores
Communem tenuisse viam: clamore sequuntur
Præceduntq; alii, fessiq; celeusmate vires
Accipiunt, nec certa sedet victoria parti.
Non aliter, quàm cum pubes se plurima Ponto
Nautica diffudit, cùm sunt certamina cursûs,
Instructæq; volant tranquilla per æquora pinus
Remigio celeri: crescit contentio palmæ
Spe dubiâ votisq; virûm, paribusq; feruntur
Ductorum studiis. Aliquem tunc fortè Menoeten
Confisum risêre mari. Ferit undiq; littus
Penè eluctantum plausus, fremitusq; sequentum.
Sic illi: & poterant utræq; in fine carinæ
Æquatis rostris lato se condere portu:
Hoc tamen insignis fecit reverentia clavi;
Consul ut ante alios Procerum cum gente subiret.

Postquam egressi omnes; primi solvêre cohortem
Patres, inde alii: tum facta silentia terris,
Omniaq; involvens umbris ruit Oceano nox.

Frid.

Frid. Zamell

TETRACTYS PYTHAGORICA

&

CVBVS

IGne perennanti lambentem sidera flammam
Ex infinitâ symbola mente creant.
Corpoream absolvit subsidens tessera molem.
Hæc Cœli & Terræ copula prima fuit.
Nunc mihi dicenti superi monas incluta mundi
Irriguo ex Idæ fonte ministret aquam.
Hinc tecum lutulenta cohors, Epicure, facessat,
Quosq; juvant horti frigus & umbra Tui.
Quod dixêre Iovem, rutilant fastigia Primi:
Quà numquam ratio vana tetendit iter.
Lumen inaccensum est, atq; altius æthere summo
Naturæ angustum nescit inire locum.
Hujus in auricomâ duo cornua fronte resurgunt.
Hisq; nihil Motor cœpit habere prius.
Quisquis enim toto naturæ vultus in Orbe est,
Ejus in æternâ simplicitate fuit.
Triquetra quàm pulcrè facies subsedit eodem
Schemate, divini fœdere juncta thori!
Namq; trias sacrum Iovis ut respexerat astrum;
Ille licet sin plus nil nisi simpla daret;
Excepit radios Iuno fœcunda reflexos,
Et felix uteri turgida sensit onus.
Fallor, an Vnius facies hæc integra, Verè
Et Bene quod Graja stare Lycéa crepant?
Quo Quid in archetypæ descriptum mente tabernæ;
Constat perpetuos luxuriatq; dies.

Sunt, hoc qui nexu Fidei Mysteria firment,
Et magni credant Numinis esse typum,
Naturamq; loqui de conditione regentis
Naturæ totum, quod fabricasset, opus.
Extemplò nata est & nata simillima matri
Progenies, Illo fonte Quadriga coit.
Inde supercilium Samii celare jubentis:
Mascula Tetractys cui novus ora gerit.
Qualis mutatâ sensit de Cœnide Cœneus
Virgineos vultus obriguisse pilis:
Et modò post teneros jactans robusta lacertos
Brachia, miratur seq; amat ipse virum.
Haut aliter mentum sumsisse virile Tetractyn
Insignem Furcæ nobilitate ferunt.
Non tamen hos fingas, scelerate Tridentifer, artus;
Nec precium læsæ virginitatis erant.
Integrior ratio versæ est in origine formæ,
Nec tetra in sacro corpore menda latet.
Quà flectas oculos, nescit discordia caussam,
Nam justi ratio quæ paritatis erat.
At subeant unam sidus venerabile massam,
Cuî cœpti primas ordinis Alpha dedit,
Et geminā ex illo quæ vertice cornua pendent,
Addita quadratæ ternaq; lora basi.
Hæc Decas, hæc rerum primordia: Numine quorum
Omne quod est denis pingitur in tabulis.
Nunc &, quam natura dedit, statione locatos
Terribilis cogat buxus in arma viros.
Signiferum belli Quinctum dic. Adspice ut hinc jam,
Iamq; illinc quino milite fretus ovet!
Milite sit sociæ manus auctior altera turbæ;
Atq; heic sex, illeic quatuor arma gerant;

Seu

Seu septem pluresve loces, in imasque vicissim;
Alterutrimque decem turba coacta dabit.
Hos verò Unius cretos de semine fratres,
Atque redire in idem virga Pelasga notat.
Explicat hæc decimum: famamque à cardine dicti
Illius auspicio se repetentis habent.
Nunc me, Quincte, monent hymeneia sacra parentum,
Totque Sophûm tædis edita texta novis.
Ergò unos thalamos & Tu Trias impare formâ,
Et parili ingeditur lumine nota Dyas.
Nec vano arbitrio: ne Tu sterilescere posses,
Ut quæ fœcunda est hæc quoque fœta foret,
Luxurietque magis. Tu robore macte virili,
Cuî tali amplexu contigit esse marem.
Est in naturæ felix conjunctio rebus,
Tot seclis, doctis tot celebrata viris,
Cognita sunt illeic fando, sunt obvia nostrû
In nobis animi quinque ministeria.
Excute nunc ipsum, quem functio quinta peregit.
Hæc in Te, hæc extrà vincula mundus habet.
Ecce deos, geniosque, animasque hoc fœdere censas
Heroas, nostrum deinde ferumque genus.
Infera cum superis committere sobrius insta.
Abdita quæ fuerant, plurima doctus eris.
Huc bene purgatis animi concedere fibris
Ipse Plato voluit, nostraque sacra sequi.
Fundamenta loca. Quadræ Tibi terminus omnis
Erigat, & candens vincula nectat apex.
Ergò cùm triplex ternis hastilibus infrà
Stat latus, & stricto culmine summa petit;
Pyramis exoritur: sedem quâ Conditor ævi
Obtinet, & propriâ sorte beatus agit.

Pat

Par quoq; filorum geminum promittat, & æquè
Nodosum extollat mystica quadra caput.
Pyramis hæc illa est, per quam tecta alta deorum
Dicuntur fulcris incubuisse suis.
Non illud superant mortalia pectora cœlum.
Arceantur sacris improba sensa locis.
Puræ habitant mentes non deficientibus annis,
Noxa quibus nostræ conditionis abest.
Post sese in se ipsam fœcunda retorqueat Hyle,
Eq; sinu Dyados bis duo bis generet.
Heic quoq; Cecropiæ cessat dum Palladis index,
Sex latera, exhedras explicat octo Cubus:
Commoda quo gravium spatiosa per æquora sedes
Panditur, & latebras angulus omnis habet.
Vltro sensibilis pandit se forma theatri,
Subsiduntq; suo corpora crassa loco:
Vnius Oceano currant illòq; recurrant
Quamlibet, & lituis, Cinxia fœta, Tuis.
Hoc tum Dindymene, quando par mite leonum
Sub juga venissent fræna regente deâ,
Exhibuit divûm fundens genitale hominumq;
Semen, & unde genus secula bruta trahunt.
Hujus & ætherii si constat fabrica mundi;
Redde patrem matri: jam Tibi cuncta patent.
In flammâ fulvas Pactoli quærat arenas,
Munera naturæ quisquis ab arte petit.
Altiùs egredimur lentæ penetralia Vestæ.
Numen habent nostræ cuncta foventis opes.

Frid.

Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM LIBELLUS.

In Ollum.

SCribis Tu fabris, scribis Tu carmina lixis,
Et celebras versu sordida quæq; Tuo.
Non aliis natum me clamas esse Poetam,
Quòd raræ versent carmina nostra manus.
Vt fas ingenuos virtuti assurgere Vates;
Sic ego nec fabris scribo, nec Olle Tibi.

In Graculum.

GRacule, si nescis; sunt nobis carmina lusus:
Hic Canis, hic nostrum Senio quassat ebur.
Hæc mihi sunt picti chartacea Numina Reges;
Qui curas adimant nocte ruente meas.
Sæpe dies lusu, sæpe est Tibi mortua vino:
Quâ cecini, vitam quæ mihi fortè dabunt.

In Marrum.

ODi ego mendaces (sic inquis Marre) Poetas.
Apparet, quoties verba Latina facis.

Magnif. & Nobilis: Dn. Ioanni Nicodemo ab Ahausen Commiss: Regio.

QVid mihi præstiteris, nondum mea secula norunt,
Nicodama Gothici firma columna poli.
Norunt hoc omnes: quòd me, qui temperat Arctum,
Muneribus carum cœpit habere Tuis.
Nec latet hoc quemquam; per Te quòd carmina Teuto
Nostra legit, jam me tota quòd Arctos amat.
Tu tamen illa negas dignum præstare favorem;
Hæc nisi, quæ dederas, ornet amica manus.
Jamq; eadem cumulas & divite provehis auctu,
Theséaq; juvas commoda nostra fide.
Quid memorem, nostræ quod curas addere famæ:
Ne vulgi jaceat sub pede Vatis honor?
Hoc quod præstabas sit nostro carmine dictum;
Pro merito non est, si colis usq; Tuo.

Aliena tractantes.

IN vestrâ soleas vendit stannarius urbe:
Mulciberis panem sordida turba coquit:
Ædificat pistor: sutores pul[illegible]a tractant:
Textor agit caussas: tonsor in Æde docet.
Substiteram ruptis mediâ regione quadrigis:
Attulit optatam bibli, pejus opem.
Quo sapiant, quæro, puerorum corda magistro.
Palladis hunc credas de grege? tinctor erat.
Sola vel ut rerum peccarent nomina; pisces
Vendit, qui Lanii nomen inane gerit.
Ferme ego, vo[illegible] humiles pomeria vestra, Quirites,
Transieram; [illegible] cùm vehit Auster aquas.

Imbre

Imbre madens vicina peto: monstrata taberna est:
Quam solùm innuptæ tres coluêre domum.
Idaliæ facies! faciles & ad omnia promptæ.
Dulce merum, dulces apposuêre dapes.
Transegi noctem ridens satis illa. Quod ætas
Sera recensq; probet, terna puella fuit.

In Baccam Medicum.

ES cuidam similis Medicorum, Bacca, priorum.
Pergamus at non huic patria, Cosve fuit.
Pluris uterq; fuit: sed nec Tibi proxima laus est.
Vis aliquem? talis, Bacca, Diaulus erat.

In nanum

NAni sunt servi, nanus Tu, nanaq; conjux:
Et matura viro filia nana Tua est.
Cur Pario vastum surgit Tibi marmore tectum?
Præstaret vobis si quoq; testa domum!

Ad Hier. Stellam

STella, Tuos utinam legat ætas sera libellos:
Et Tua post magni scripta Maronis amet:
Nasonem dicat: neget hoc Te, Stella, minorem:
Nec plus det numeris, culte Tibulle, Tuis.
Quæris, cur optem tantæ Tibi munera laudis?
Sic aliqua & nostrî fama superstes erit.

In maledicum

DE me quid dicas, mihi vilis anicula narrat,
Et puer, & si quo vincere teste negor.
Quid fecit, vulgo quem teste lacessere nescis?
Clam fodicas. Nequam es lingua proterv...

In

In Graculum

DIc mihi, dic populo, quod ponis in aure Melanthi:
Aut animum hunc muta, Gracule, si bonus es.

Ad N. Quæstorem

DEsine Te nimiis, Quæstor, consumere curis.
Major erat Priami Tarquiniiq; dolor.
Horruit Andromache casu confusa mariti,
Victores ageret cùm ferus hostis equos.
Andromeda ingemuit, quoties sua vincula vidit;
Ingemuit, quoties vidit uterq; parens.
Nemo tamen tamtùm damnato luminis usu
Ad Stygias luctu perditus ivit aquas.
Æra Tibi desunt? desunt hæc Regibus ipsis.
Et caussa est populi: non tamen ille dolet.

Exequiæ asini

MOrtuus est asinus: scribunt elegidia Vates;
Versiculosq; rogat gens asinina meos.
Vos pueri dominis hæc talia reddite vestris;
Me suis extinctæ funus habere domi.

Ad Gelliam

GEllia, septennis risum compesce puellæ,
Nec patere in verbis hæreat illa Tuis.
Non est, si spernis, quod adulta corrigat ætas.
Nam vetus in morem, Gellia, crimen abit.

In Fabianum

AUdio Te pueris, Fabiane, præesse docendis;
Et puto Te summis Regibus esse parem.

Nam Regum ut populi magnorum sceptra verentur,
Sic ferulas metuunt ampla Lycéa Tuas.
Deniq́ Rex idem posses, Fabiane, videri;
Si Tibi cum censu regia tecta forent.
Sed colis obscuros tecto rudiore Penates,
Vixq́ capit mensam tota thorumq́ domus.
Cùm fracto, qui prorsus abest, pede mensa laboret;
Impositum spondæ sustinet asser onus.
Rufa Tibi conjux hesternam ponit ofellam.
Est, quod Te Regem non tamen esse sinit.

In quemdam

NUlla canina Tuo est in nomine litera: nullam,
Quæ sunt cognatæ nomina gentis, habent.
Non erat in patris, non credo in nomine matris;
Sed nec in uxoris, sed neq́ prolis inest.
Non urbs non regio urbis habet, quibus incolis ædes:
At quicquid dicas: GARGARARARACREPAS.

In Zoilum

INventum pueris in stercore Zoile dentem,
Si redeat, magni dicat Adonis apri.
Dixerunt multi. Cùm sint discrimina flexûs;
Maxima pars dentem, Zoile, fassa Tuum est.

Ad Frid. Taubm: P. P.

NOn generant aquilæ, vel Flacco teste, columbam.
Verùm aquilam nuper rara columba dedit.
Seu cycnus es, Vatum seu Phœnix, optime Vates;
Hic, quo Tu satus es patre, Columbus erat.

In Paullum

Cum

CVm Paulle ædifices, calefias Paulle libenter;
Dos eſt uxoris cædua ſilva Tuæ.

Pertica ſeu arbor

quâ ligneam columbam ſcloppetarii plumbeis glandibus dejiciunt.

EMinet in campus erecta patentibus arbor:
Lignea ſupremâ parte columba ſedet.
Hanc collimantis petit ordine turba juventæ;
Lentaq; ferventi pectora glande ſecant.
Accipiunt Regem, ſignatq; argentea torques:
Qui laceram extremo vulnere frangit avem.

Ad Ianum Condylum

MEcum centenos ſi, Condyle, vixeris annos;
Vna dies noſtras ſolvet amicitias.
Scilicet & faſces, & opes, memoresq; columnas
Dejicit in cineres una ſuprema dies.
Condyle dum ſuperas, præſentibus utere rebus:
Queis negat æternùm mors inimica frui.

Donaria Xerxi oblata

DOna ferunt proceres generis teſtantia luxum,
Et, ſua ne deſint munera, pauper aquam.
Illi magna ſatis Tibi dona dediſſe videntur.
Plus Tu, Rex, inopem crede dediſſe manum.

In Battarum

MAthuſalæ longum ſi, Battare, vixeris ævum;
O quàm ridiculus, Battare, Codrus erit!

In cocum

ET proavo narras & avo Te Consule natum:
Præreptum fato fascibus esse patrem.
Hoc differs: illi jus ortâ lite ferebant:
Tu, gula si poscat luxuriosa, coquis.

Ad Casp. Cunradum

HEroas longo donet magna Ilias ævo:
Extingvent Vates secula nulla Tuos.
Quid mihi non donas unus pars maxima Vatum,
Si Vates inter pars legor una Tuos?

In Probum

SAcrilegum soleo cùm Te, Probe, dicere furem;
Nescio, quid dicas: velle negare puto.
Dico scortorum centum, Probe, lustra Tuorum:
Heic iterum mussas: velle negare puto.
Quiddam mentitus vis ne, Probe, mentiar ultrà?
Pravus eris posthac: non potes esse Probus.

In Didymum

UXorem Didymus se ducere velle negavit,
Sive foret virgo, seu viduata viro.
Duxit: & hanc potuit non mendax ducere. Qualem?
Quæ nec erat virgo, nec viduata viro.

In Gallicum

NOcte sub obscurâ convivia Martha frequentat,
Nec redit ante, ruat quàm manifesta dies.
Cùm placeant alii mores Tibi conjugis, illos
In fragili sexu dissimulare soles.
Gallice, sola mora est in crimine. Gallice, mores
Hos si ferre potes; Thaida ferre potes.

In Allium

QVi Musas Ciceronis amas noctesq; Catonis,
Næ magnos, Alli, quos imiteris, habes.

De nomine GVSTAVI Augustiss: Svecor: Regis.

GVSTAVO puero, quòd sola modesta probaret,
AVGVSTI nomen noluit esse pater.
Vis occulta fuit fatorum; ut grammasi versis,
Quod tribuunt ultro secula nostra, daret.

In Paullum

ESse bonum in populo Vatem me, Paulle, negasti.
At Paulus, dixi, nec malus esse potest.
Me Clarii proceres verè hoc dixisse fatentur.
De me quid credent hi Tibi, Paulle? nihil.

Ad Magnif. & Nobiliss: Dn. Ioannem Nicod. ab Ahausen Commiss. Reg. Spons.

NIcodama, externis Tibi ducitur uxor ab oris;
Lecta nec est patrio nostra puella solo.
Accendit vestras Setinum nobile tædas:
Accendit nostras urbs Mariana faces.
Fortè rogas, vestros quo voto prosequar ignes?
Non alio, quàm quo prosequor ipse meos.

Ad eumdem

DVxi ego, Nicodama Gothici fax ardua cœli,
Vicinâ Catharan nuper ab urbe domum.
Sexta dies aderat, cùm mœnia nostra relicto
Conspexit Viadro Te comitata virum.

Salva Tibi sit nupta recens. Mea Cathrula langvet:
Cui dolor assiduus pungit utrumq; latus.
Non silet illa, licet sint alta silentia noctis:
Nox illi placidum nulla papaver habet.
Aut ego fata meis damno contraria fatis,
Aut animum solor spe meliore meum.
Sed nitar precibus, quæ conscia Numina tangent.
Non ea turbari gaudia nostra volent.
Iam cur non veniam Tecum discumbere jussus,
Nonne satis caussæ est? quæ mihi mœsta satis.

Nuptiis Æmilii Ori

DEsponsæ nondum cùm diceret Orus Elisæ:
Te mihi, virgo, nihil carius esse potest;
Reddidit hæc: vix, Ore, sapis. Nisi Numina curæ
Sunt Tibi præcipuè, non potes esse meus.
Pacta Dei cultum, thalamos est pacta jugales.
Vivite. Cultores diligit ille suos.

Ad Ponticum

QVales Parrhasii commendat fama tabellas,
Et quibus in totâ non facit urbe pares,
Si spernit pictor Lysias; quid, Pontice, mirum?
Nam pictor Lysias non habet, unde probet.
Est illi satis hoc, se commendare tabernis,
Et Libycam in ratium pingere fronte feram.

In Marcum

CErtè aliquid, Marce es: vis hoc quoq;, Marce, videri.
Et sunt, non humili qui Tua laude ferant.
Hinc statuas famæ sacrant memoresq; columnas:
Hic q; æris, solidi marmoris ille probat.

Tu figulo genitus mensas imitare modestas
Trinacrii Regis. Fictile surgat opus.

In Alcmæona

L*Audantur faciles, genitor si jusserit, aures:*
Laudantur faciles, si velit ille, manus.
Et modus Alcmæon. Nam quamcum est, improbe; per Te
Cùm vitam amittat, quæ Tibi vita fuit!

In Grillum

S*I pictis solito Pomona sit æquior hortis,*
Si metuat ramis arbor onusta suis,
Colligis in parvas pyra corbes: mittis amicis:
Et vis non parvi muneris esse loco.
Ne majora darem, ne forsan, Grille, requiras;
Restitui puero dona minora Tuo.

Ad Iacobum

S*Æpe minora negas ultro majora daturus,*
Vt jam plus videar jam petiisse minus.
Sic ais: & toties miraris tempora votis
Altera cùm faveant, illa negata Tuis.
Scilicet hoc ipsum est, Iacobe: In tempore qui non
Quamvis pauca rogat, plus tamen ille rogat.

In Paullum

Q*Vatuor à solis Tua carmina, Paule, leguntur.*
Hinc quoq; Te Vatem quatuor esse ferunt.

De Theodoro

I*Rato coram Theodorus judice causam*
Dicturus (furti nam manifestus erat)

Lex.

Lex, ait, absolvit Furti mens conscia non est.
In manibus viscum credo latere meis.

Ad Corradum

AUrem livori, Corrade, utramq; dedisti;
Caussaq; non uno judice nostra ruit.
Saltem unam nobis aurem, Corrade, dedisses;
Dixisses forsan: non mala caussa Tua est.

Idem diversorum factum

NOn trutinat sapiens, non spectant Numina factum.
Qualis es ipse, Tuum tale videtur opus.
Fecerunt eadem cum Bruto Cassius: illo
Laudato visus Cassius esse reus.

Appetitûs varietas

GRata caro pictis est vervecina Britannis:
Lac patrii pecoris Belga sonorus amat.
Si desunt lepores, legitur vitulina Borussis.
Hac alit in Frisiis rustica turba canes.
Exsuctas pueris mater dat Sveva medullas;
Alpinam sequitur Rhetia dura feram.
Quæ legat halecem, gens est contermina Cattis.
Hanc Sala det patrius, vix leve munus erit.
Sarmatiæ populum constantior urit orexis.
Est in marcenti pisce, quod ille probet.
Ostrea sunt Italis; laudant Bajana Poetæ.
Cultorem Thules pinsus asellus alit.
Quid mirum? regione unâ tectisq; sub îsdem
Spernit hic aut odit, quos parat ille cibos.

In homicidam

SEu Pelusiacas tentes descendere cryptas;
Sive Tuæ pateant extima tesqua fugæ;
Tecum fers stimulos animi, calidumq; furorem;
Tecum est admissæ conscia dextra necis.
Si fugis ergò locum sceleris, nec Te exsuis ipsum;
Demere quid pœnæ cæca Megæra potest?
Aut non majori flagrum contorqueat irâ,
Si caussâ invisum Te penes usq; cadis?
Næ licet accensum falles indagine lassum;
Vltrices nequeas comminuisse faces.

De Icaro

ICare, cùm præceps rapteris in æquoris undas;
Pro penis cuperes juncum habuisse tuis.

De Paullo

NIl saperet Paullo; melimela & Chia ministres.
Quid quæris? Paullus cœpit habere malè.
Sollicitus partem tangebat Clinicus omnem.
Pars confessa gravem deniq; nulla luem est.
Ergò, ait, obscuri sint incrementa doloris?
Ante diem sextam nil, volo, Paullus edat.

Nuptiis vidui & puellæ

ODisti placidos, infelix Clara, parentes:
Nec magis imperium non grave matris amas;
Quæ potes horribili Tua tradere jura marito;
Et furiosa novi tecta subire laris.
Hunc vultum, hos mores animo Tune adspicis æquo?
Nec metuis rigidis oscula ferre labris?
Quæ Tibi mens, nasus risu cùm personat ingens;
Quem fletum pueris sistere posse putem?

Sive ita dI tribuant, seu sis delusa per artes;
Pars vitæ melior jam Tibi, Clara, fuit.

Martini Valceri

HAnc Tibi uterq; parens olim, Valcere, negarat:
Et fieri rigidus posse negarat avus:
Patruus adversum steterat: patruelis amantem
Oderat. Antiquum hoc in genus esse ferunt.
Damnat uterq; parens iram caussasq; priores:
Defunctoq; fovet Te patruelis avo.
Patruus ingenuos mores animumq; probavit;
Et fratri est ausus conciliare prior.
Ut patrem vidit, lætata est Anna, faventem.
Nam Tibi jus olim cesserat una suum.
Nunc gaude: propriamq; fove inter basia: quæ Te
Nunc verâ gaudet dicere voce suum.
Quamcumq; in fatis placidos disjungere vultus,
Valcere, ah veniat serior illa dies!

Cottabus

COttabon illiso meditetur Græcia vino.
Romanâ Teuto simplicitate bibit.

Ad Paullum Silvium

COgnite jam lustris mihi, Silvi Paulle, duobus:
Ingenio cujus nixa Camœna mea est,
Tunc cùm Varniaci conjunctâ mente Roseti
Solvimus armatæ debita vota Deæ.
Tres illi messes studio fervente sacraras.
Ex voto menses sex Tibi junctus eram.
Te sine Leucoridum celebrata Lycéa petebam;
Quà sua divinus busta Philippus habet.

Tempo-

Tempore ab hoc patriæ vixi privatus in orbe.
Tu patriæ peragis munia summa Tuæ.
Hac iter expediens Drusi deflectis ad urbem;
Et de me certus non satis antè rogas.
Vivo. Non famulis non curtæ plura papyro
Committo. Si me diligis; ipse veni.
Fortè indigna Tuo, Silvi, splendore parantur.
At genio ponam sæpe probata Tuo.

Ad Carolum Mannum

PArvæ munus aquæ promittis, Carole, turdum;
Pullorum Cordus juscula blanda trium.
Cùm prior invitet, faciet mihi prandia Cordus:
Turdum, cùm fuerit Carole cœna, dabis.

Ad sodales in venatu

IN medias leporum sequimur vestigia silvas:
Et lustrant latebras frundea septa canes.
Me venante simul condit pia Delia prædam;
Et fratri redat me jubet antè suo.

De villâ Fel. Fidleri

RVra colis, Felix: ô si melioribus annis!
Se meritò ferrent nomine digna Tuo.
Pascua sunt pecori, fœcunda novalia, silvæ;
Littora piscosi despicis alta maris.
Talia dum laudat Venusini Musa Poetæ:
Rus voluisse Tuum dicere visa mihi est.

Epithalamium Antonii Capri

QVid fuit, ut patriis posses excedere tectis,
Annosi thalamis virgo petita capri?

Cornua non teneram poterant terrere puellam?
Durities cordi non fuit illa Tibi?
O albam niveo deceptam vellere mentem!
Seu quid inest hirti dignius ore capri.
Sed caprum, cujus Tibi dulce quiescere lecto,
Barba Tibi dixit robur habere viri.
Martha virum amplexa est, juveniles sprevit amores.
Tam certo felix sit duce Martha viro.

In Gelliam

GEllia, quod nescis, hoc à Te filia discat?
Filia ridicula est, Gellia: Tu fatua es.

In blattam

AVsa quiescentes spatio breviore libellos
Rodere, næ damni plus mihi blatta dabis.
At cur non vacuâ potius saturâre papyro?
Aut tamtum doctæ quid nocuêre manus?
Sed quæram latebras: nec inultâ morte peribis.
Sed pereas, ne post pabula mentis edas.

Ad Theoph. Cordum

AD cœnam me, Corde, vocas: sed oluscula pones,
Ut Tibi condicam filia parva rogat.
Me Grillus Lippusq; vocant, rectamq; loquuntur.
Ingenium & mensas diligo, Corde, Tuas.

In Faustinum

IN censum judex datus es, Faustine, minorem;
Teq; velut Numen vulgus adorat iners.
Hunc Tibi deberi falsò quòd credis honorem,
Credis & æquales Te superasse Tuos.

Non

Non oculum vulgi, doctorum lumina posce.
Momentum solidi pectus honoris habet.

In Quinctum

QVæritur, an conjux Tua non sit rectiùs Hermi.
Dat noctes Hermo: dat Tibi, Quincte, diem.

In statuam Neronis

HÆc statua Æneadæ est munus silvestre Neronis.
Si foret è saxo, jam foret ipse Nero.

Amor inconsultus.

O stolidos juvenes! vidi pàr nuper amantum:
Sollicitus quorum pectus edebat amor.
Sævitum properè est. Cùm sumeret altera ferrum,
Compositos thalamo viderat una dies.
Quàm non absurdum est, uno junxisse Poetas
Formosam Venerem Mulciberemq; thoro.

Andreæ Sacorio

NOn ego præscripsi, quod diceris esse, Sacori.
Nam mea non dixit litera: Consul have.
Da veniam & voces & res edocte Latinas.
Romanâ tamtùm Consul in Vrbe fuit.
Sed sit, cum vulgo nostrâq; ætate loquamur:
Vix tamen hæc patitur nomina noster amor.

Ad Ferrandum Hessum

NEscio si noster poßis conviva vocari,
Ad cœnam quàmvis veneris, Hesse, meam.
Gobius est nostro vitulinaq; lecta palato:
Carpio Te saturat massaq; salsa bovis.

Dum

Dum Rhenana mihi sapiunt, Tu Cretica possis.
Commune in cœnâ quid fuit ergò meât?

In balneum

SInt procul hinc pueri nondumq; experta maritum:
Nec videat nudos non mala turba viros.
Casta licet nostros spectet matrona lacertos:
Urgeat hirsutum conjugis illa femur.
Oscula ne libet. ne det sua brachia collo:
Sed thalamo placidi servet amoris opus.

In stomacholum patremfamil:

DUm puerum exortis puer alter litibus urget,
Sollicitis implet questibus ille domum.
Non pateris fletus, animo cùm seria tractes:
Et sontem punis. Nunc flet uterq; puer.

In Asticum.

AStice, damnaris populi sermone sinistro:
Et queritur sub Te judice quisquis agit.
At quàmvis possit cuivis Tua culpa videri;
Hoc veniæ tamen hoc Astice laudis habes.
Fulgida dona capis. nempe hinc Tibi visus hebescit.
Et Tu pro magno munere gratus homo es.

In Hattingium

RAriùs, Hattingi, fateor, mala carmina condis.
Nam mala cùm facias, rariùs illa facis.

Tumulus Geographi

PEr vastum Oceanum, patulæ per climata terræ,
Inq; alium ex alio movimus Orbe pedem.

Nunc ride, ne se defunctus rideat ipsum:
Quem sub tres cubitos parva coegit humus.

Cerevisiarii

QVi lupulo & calidâ frumentum temperat undâ,
Hac satur annorum parte quiescit humi.
Ante alios vario doctum miscere palato
Flevit ut amissum maxima turba patrem.

Pistoris

TAm viridi placuit pistorem cespite condi.
Conveniunt pietas, ingeniosa manus.
Mœsta domus simul ac in apertum effusa dolorem est,
Fletu etiam pueris immaduêre genæ.

Aurifabri

SOllertem in varias aurum mutare figuras
Artificem præsens, quam teris, urna tegit:
Quaßaret graciles morbus cùm letifer artus;
Materies luxûs huic pietatis erat.
Maßa proba est, inquit, quam septima flamma recoxit:
Et nolim examen sustinuisse meum.

Cæmentarii

CEspite in hoc viridi miserum posuêre tribulem
Qui tecta ædificant maxima, parva colunt.
Adnixum pinnæ præceps cùm falleret asser,
Æger adhuc spirans talia verba dabat:
Discite, quos stimulis agitat temerarius ausus:
Ardua si fuerint, plus loca fraudis habent.

Pastoris

QVi solitis pecudes ad pascua duxerat horis,
E gelido solitis fonte daturus aquam,
Cum grege & ipse vagus cœliq; incommoda passus
Nunc spatio terræ sub breviore jacet.
Agricolæ flevêre fidem pastoris ademtam:
Mugituq; boum exhorruit omne nemus.

Cujusdam.

MVltarum hunc rerum dicunt monumenta peritum:
In vivis certè vir fuit ille rudis.

Ad Auctorem

SEu Tu, ZAMELI, quem mentis accumine, & oris
Flumine, & Aonio lumine IOVA beat;
Arma virumq; canis, gelidâ qui victor ab Arcto
Misnidos ad Tilias Tillica castra fugat;
Tristia seu tamti Regis, Phallosthene victo,
Fata doles hosti plùs nocitura suo;
Seu, quæ Pythagoras docuit mysteria cubi,
Sanctius accipiunt Numen ab arte Tuâ;
Sive sacros celebras vates orante Cratino;
Nescia seu Flacco cedere plectra moves;
Sive notas vafro turpes epigrammate mores;
Mellea nectareo verba liquore fluunt.
Hinc Te noster amor (rumpantur ut ilia Marro)
Nicodamas merito munere laudat, amat,
Quòd Te, Zameli, sic mentis acumine, & oris
Flumine, & Aonio lumine Iova beat.

M. Balth. Voidius.

